PJ
7541
S7
1868

LIBRARY OF CONGRESS.

[SMITHSONIAN DEPOSIT.]

Chap. PJ7541

Shelf .S7

1868

UNITED STATES OF AMERICA.

De viris illustribus

in libro Arabico

ترجمات المتقدمين من الشعراء

commemoratis

dissertatio,

quam

Venia amplissimi philosophorum ordinis
Imperialis Academiae Alexandreae Fenniae

praeside

Gabriel Geitlin,
Doct. Theol. et Phil.,
Professore emerito, quondam Professore Litt. Orient.,
Imp. Ord. S. Annae in secunda classe,
Imp. Reg. Ord. S. Stanislai in secunda classe cum insigni diadematis
et Imp. Ord. S. Wladimiri in quarta classe membro,

publice examinandam proponit

E. A. Strandman,
Mag. Litt. Orient. Docens.

In auditorio philosophico die XII Februarii MDCCCLXVIII

h. a. m. s.

Helsingforsiae, ex officina Frenckelliana, 1868.

PJ7541
.S7
1868

In dissertatione De codice manuscripto vitas veterum poetarum Arabum sub nomine Ibn Challikâni exhibente, nuper emissa, argumentum operis Arabici تراجمات المتقدمين من الشعراء inscripti, quod in Museo Asiatico Petropolitano asservatur, exposui. Hoc in libello primum istius operis originem, qualis fuisse putanda sit quoque modo Ibn Challikâno assignanda, demonstravi, tum omnes, quas continet, vitas enumeravi nonnullaque ex singulis descripsi, quae potissimum formam atque conditionem totius textus reddere viderentur. Neque aliud mihi eo tempore erat propositum. Quum vero sic de ipsis poetis caeterisque hominibus laude aliqua florentibus nihil fere ibi relatum invenias praeter brevissima, quae dixi, textus exempla, haud supervacaneum putavi de iis in dissertatione academica, quam iterum conscripturus sum, paullo diligentius investigare notitiasque ad historiam litterariam pertinentes proferre. Attamen in permagno virorum, quorum mentio mihi est facienda, numero non fieri posse intelligo, ut singulos multis verbis persequar. Quapropter ante alia id jam secutus sum consilium, ut quo in studiorum vel litterarum poeseosve genere claruerint quaeque scripta vel dicta reliquerint, quas denique res mentione dignas gesserint, breviter tantum attingam. Neque praetermittam, quin has res persequens virorum doctorum libros, qui cognitionem praebeant pleniorem, suo quemque loco commemorem atque ex iis ipsa verba interdum afferam. Quae si diligenter quamvis breviter perfecero, spero fore, ut usum aliquem et fructum exinde capiat notitia rei litterariae Arabum.

Praeterea vix est quod moneam, me in hac commentatione conscribenda nullis usum fuisse manuscriptis, excepto ipso codice operis ترجمات المتقدمين من الشعراء. Qui codex, etsi unicus est, tamen quum valde vitiose exaratus sit, vix fieri potest, ut quisquam eum typis edendum suscipiat. Quod quum ita sit, non alienum fore credidi ex eo nonnunquam paullo uberiora referre specimina. Atque haec ipsa sunt, quae haud scio an locum suum optime defendant inter caetera, quae infra leguntur, quaeque maxime me permoverunt, ut opusculum meum in publicum emitterem.

I. Quss ben saida alijadi.

Satis cognitum est, haud paucos inter Arabes, qui ante Islamum vixerunt, doctrinam Christianam esse amplexos. In regione Jaman, ubi haecce doctrina inde a temporibus regum Himjarensium usque ad imperium Chalifae ʿUmar viguit[1]) maximeque dominantibus ibi regibus Abyssinorum adjuta et aucta est, frequentiores erant Christiani quam in caeteris Arabiae regionibus. Ex his Christianis Jamanensibus vir fuit omnium fere illius temporis Arabum praeclarissimus, Quss ben sâʿidà, episcopus Nagrânensis, laude poeseos, eloquentiae, sapientiae eminens. Imprimis eloquentiâ, quam in rebus divinis expromsit, tantam famam assecutus est, ut postero tempore proverbii loco diceretur: أخطب من قسّ vel أبلغ من قسّ. Originem duxit a Banû ijâd, qui, in regionem ʿIrâq, Higâſo re-

---

[1]) Usque ad hoc tempus religio Christiana in urbe Nagrân, si non aliis locis, viguit; cf. Caussin de Perceval, Histoire des Arab. av. l'Islam. Tom. III, p. 444.

licto, transgressi [1]), iidem religioni Christianae erant addicti quique inter omnes Arabes Islamum tardissime amplexi sunt, postquam cum Persis conjuncti eum diu detrectassent [2]). Quss ben sâᶜidà dicitur primus e suggestu concionatus esse primusque inter concionandum gladio vel baculo incubuisse. Primus quoque morem verba أمّا بعد, "his praemissis," in initiis orationum post nomen Dei laudatum adhibendi constituit. Dicunt etiam per eum primum esse ad Arabes perlatam cognitionem unius Dei et resurrectionis mortuorum. Nam famae ejus celebritate factum est, ut non solum Christiani Nagrânenses, sed etiam alii ex aliis regionibus ad eum audiendum confluerent. Sic Muhammad ipse, priusquam prophetae partes suscepisset, eum in foro ᶜUkkâṭ rubro camelo insidentem vidisse concionemque habentem audisse narratur [3]). Quam ob causam non multum a veritate abhorrere videtur, si statuimus, eum quoque a Quss ben sâᶜidà illa praecepta de uno Deo et resurrectione mortuorum accepisse atque omnino multa alia religionis Christianae dogmata, quae postea ei placuerunt. Profecto Muhammad aetate jam provectus sapientiae recordatus est, quam se in foro ᶜUkkâṭ percepisse diceret, et colloquium, quod de hac re habuisset cum Algârûd ben ᶜabdallah, uno e legatis a Banû ᶜabd alqáis a. C. 631 ad eum missis [4]), in libro الترجمات commemoratum inveni-

---

[1]) Cf. Abulfedae Hist. Anteislam. p. 192.

[2]) Cf. Caus. de Perceval, Hist. des Arab. av. l'Islam. Tom. III, p. 413 seq. et 524.

[3]) Cf. Ibn Qutaibae كتاب المعارف, ed. Wüstenf. p. ٢٩.

[4]) Cf. Caus. de Perc., Hist. des Arab. av. l'Islam. Tom. III, p. 289, ubi tamen pro Algârûd ben ᶜabdallah legitur: El-Djâroud fils dᵓAmr (ou de Moàlla). — Hoc colloquium idem esse videtur, quod perhibet Hammerus (Litt. Gesch. der Arab. T. I, p. 59) prophetam cum legatis a Banû ijâd missis habuisse.

tur. — Quod praeterea ad Quss ben sâᶜidà attinet, vita ejus piis curis dedita fuisse videtur. Ex testimonio libri الترجمات locos sacros saepe adire et in desertis locis ovis struthiocamelorum vivens vesteque ex cilicio confecta (المسوح) indutus versari solebat. Fertur ad aetatem annorum centum et octoginta pervenisse paulloque ante Islamum diem obiisse supremum [1]).

De Quss ben sâᶜidà cf. Meidani (Freytag, Arabum Proverbia), Tom. I, p. 189, Tom. II, p. 794; Hariri (Sacy, Les Séances de Hariri), p. ٣٧٩; Pocock, Spec. hist. Arab. (Oxoniae 1650), p. 344; Caussin de Perceval, Hist. des Arab. av. l'Islam. Tom. I, p. 159; Sacy, Anthologie Grammaticale, p. 357.

II. Sahban alwaili et Baqil.

Sahbân alwâilî vel, ut vulgo appellatur, Sahbân wâil (Ibn ʃufar ben ijâs) eadem fere eloquentiae fama primo seculo Islami floruit, qua Quss ben sâᶜidà ultimo "temporis ignorantiae." Nec minus crebro proverbium أخطب من سحبان وائل vel أفصح من سحبان وائل quam أخطب من قسّ usurpare solent, ut summum eloquentiae fastigium designent. Quum Sahbân aliquando praesente Chalifa Muᶜâwija ben sufjân orationem (خطبة) habuit, caeteri oratores, qui aderant, consurgentes et abeuntes se omnes eo inferiores esse significarunt. Ante Islamum natus, medio primo seculo obiit; est igitur unus ex iis, quos Arabes المخضرمون vocant. Exemplum orationum

---

[1]) Apud Caus. de Perc. legitur: "Coss mourut vers l'époque de l'avénement de Bâdhân à la vice-royauté du Yaman" (quod eodem auctore circa a. C. 606 accidit, cf. Hist. des Arab. T. I, Tab. 1).

ejus exhibet Hammerus in Litt. Gesch. der Arab. Tom. II, p. 203.

Bâqil autem notus erat propter loquendi difficultatem (unde ortum est proverbium أعيا من باقل). Cujus rei exempli causa haec tradunt: Dorcade aliquando empta et cervici imposita interrogantibus, quanti emisset, ita respondit, ut linguam porrigeret digitosque extenderet. Sic enim se undecim drachmis emisse significatum voluit[1]). Attamen mutus non erat, nam hanc rem mirantibus respondit: "Bâqilum fatuitatis insimulatis, ac si fatuitas a natura non indita esset. Ne difficultatem loquendi tantopere vituperetis, qua qui laboret insipiente melior est. Ex mea sententia linguam porrigere digitosque extendere multo melius est quam loqui."

De Sahbân cf. Meidani (Freytag), Tom. I, p. 450; Ibn Qutaiba (Wüstenf.), p. ٣٩٧; Hariri (Sacy), p. ٤٢. — De Bâqil autem cf. Meidani (Freytag), Tom. II, p. 146; Hariri (Sacy), p. ١٩٠; Ibn Qutaiba (Wüstenf.), p. ٣٩٩.

III. Abu amru ben alala.

Abû ᶜamrû ben alᶜalâ (ben ᶜammâr ben ᶜabdallah ben alhusain ben alhâriṯ ben gulhum ben chuſâᶜî ben mâſin altamîmî albazrî) unus est inter septem القرآء seu Imamos, qui maxima in Qurâno recensendo auctoritate gaudebant. Caeteri sunt: Nâfiᶜ almadanî (Abû ruwaim nâfiᶜ ben ᶜabd alrahman ben abî nuᶜaim), anno 169, vel sec. alios anno 159, Medinae mortuus (de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٧٩٧; Ibn Qut. p. ٣٩٣); Ibn kaṯîr almakki (Abû saᶜîd ᶜabdallah

---

[1]) Sic secundum الترجمات. Nonnulli dicunt, dorcadem alae subjectam effugisse, quum Bâqil manus extenderet.

ben kaṭîr) anno 120 Mekkae mortuus (de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٣٢٩); Ibn ᶜâmir aljaḥzubî aldimaśqî, anno 118 Damasci mortuus (de quo cf. Flügel, Ḥâgî Ch. Lex. Bibl. VII, p. 660); ᶜÂzim ben abî-lnagûd alkûfî, anno 127 Kufae mortuus (de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٣١٢, Ibn Qut. p. ٢٩٣); Ḥamſà ben ḥabîb alſajjât alkûfî, anno 156 in urbe Ḥulwân mortuus (de quo cf. Ibn Chall. nr. ٢٠٧, Ibn Qut. p. ٢٩٣); Alkisâî alkûfî (Abû -lḥasan ᶜalî ben ḥamſà ben ᶜabdallah), anno 189, sec. alios anno 182 vel 183, mortuus (de quo cf. Ibn Chall. nr. ٤٤٤, Ibn Qut. p. ٣٧٠). Abû ᶜamrû vero omnium celeberrimus est ac fide dignissimus; quare complures Arabum scriptores recensionem Qurâni ab eo factam postea exposuerunt et existimarunt. Apud Ḥâgî Chalifam commemorantur Scheich Ṡihâb aldîn aḥmad ben wahbân, qui de ea Qazidam conscripsit (cf. Flügel, nr. 9388 et 9491), Scheich ᶜUmar ben qâsim ben muḥammad ben ᶜalî alnaśśâr, qui de eadem re opus القطر المصرى (Pluvia Aegyptiaca) inscriptum composuit (cf. Flügel, nr. 9536) et Amîn aldîn ᶜabd alwahhâb ben aḥmad ben wahbân aldimaśqî, qui in compendio brevissimo principia recensionis Abû ᶜamrûi exhibuit (cf. Flügel, nr. 8495). Fuit tamen Abû ᶜamrû non solum in doctrinis Qurâni, sed etiam in grammatica, philologia (علم الادب) et carminibus versatus; denique doctissimus suae aetatis vir omnium judicio fuit. Teste Ibn ᶜAsâkir, auctore Historiae Damasci († 571), tantam librorum copiam possedit, ut domum suam usque ad tectum iis impleverit. Deinde vero, quum se cultui Dei devovisset, libros omnes combussit [1]). Eo grammatici et philologi celeberrimi Jûnus ben ḥabîb († 182, cf. de eo Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٨٩٢), Alazmaᶜî († 216, cf. de eo Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٣٨٩) et Abû

---

[1]) Vid. Ḥâgî Ch. Tom. I, p. 126; cf. etiam Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٥١٩.

ᶜubaidà († 209, cf. de eo Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٧٤١) usi sunt praeceptore. Natus Mekkae circa annum 70, obiit Kufae circa annum 154.

De Abû ᶜamrû ben alᶜalâ cf. Ibn Qutaiba (Wüst.) p. ٢٩٤ et ٢٩٨; Abulf. Ann. Mosl. (Reiske), p. 151; Hariri (Sacy), p. ٤٥٣; Sacy, Anthologie Grammaticale, p. 124; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. III, p. 118.

IV. Sibawaih.

Abû bišr ᶜamrû ben ᶜuṭmân Sîbawaih grammaticus illustris est, qui exeunte secundo seculo floruit. Jam ante hoc tempus nonnulli viri docti disciplinam grammaticae coluerant, ut Abû-laswad aldûalî, anno 69 mortuus, quem primum ejus auctorem fuisse constat (cf. de eo Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٣١٢), ᶜIsâ ben ᶜumar alṭaqafî, anno 149 mortuus, qui opus grammaticum الجامع conscripsit (cf. de eo Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٥٢٣), Abû ᶜamrû ben alᶜalâ, Jûnus ben ḫabîb, Alchalîl ben aḥmad[1]) et alii. At nemo eorum tantam sibi paravit existimationem, quantam Sîbawaih, qui teste Ibn Challikâno inter omnes Arabes, quum veteres tum recentiores, cognitione grammaticae princeps est. Opus ejus, cui simile in hac disciplina, eodem auctore, nunquam scriptum sit, propter celebritatem, qua gaudebat, الكتاب seu Liber κατ' ἐξοχήν appellabatur. In

---

[1]) Alchalîl ben aḥmad, anno 170 vel 175 mortuus, primus de arte metrica (علم العروض) librum composuit. Praeterea alios quoque libros conscripsit, ut كتاب النقط والشكل (de punctis diacriticis et signis vocalium), كتاب الشواهد (de regulis grammaticis) et كتاب العين, opus lexicologicum celebratum, quod tamen nonnulli ab eo scriptum esse negant. De Alchalîl ben aḥmad et operibus ejus cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٢١٩, Ibn Qut. p. ٢٩٩, Freytag, Darst. der Arab. Versk. p. 19.

eum permulti Arabum scriptores commentarios composuerunt eoque omnes in grammaticis conscribendis plus minusve usi sunt exemplo. Sunt tamen qui dicant, hoc opus nihil aliud esse quam librum grammatici ᶜIsâ ben ᶜumar الجامع inscriptum, quem Sîbawaih amplificarit et annotationibus praeceptoris sui Alchalîl ben aḣmad instruxerit. — Sîbawaih in oppidulo Persiae Baiżà natus est et in urbe Schîrâz mortuus. Nonnulli censent eum Bazrae, qua in urbe edoctus est idemque magnam vitae partem degit, mortuum esse. Etiam de anno, quo obiit, dissentiunt; alii habent 194, alii 188 vel 180, alii aliter. Liber الترجمات disputationem de grammatica inter eum et Alkisâî, caput grammaticorum Kufensium, commemorat, cujus Ibn Challikân (Wüstenf. nr. ٥٥٥) etiam mentionem facit.

De Sîbawaih cf. Ibn Qutaiba (Wüstenf.), p. ٣٧٠; Abulf. Ann. mosl. (Reiske), p. 163; Herbelot, Bibliotheque orientale (La Haye 1777—1779), Tom. III, p. 315 sub voc. Sibouieh; Sacy, Anthologie Grammaticale, p. 199; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. III, p. 313. De opere ejus cf. Hâgî Ch. (Flügel) nr. 10205 et Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. I, p. 1.

V. Du-lrumma.

Abû-lḣâriṭ ġailân ben ᶜuqbà, vulgo Ḍû-lrummà cognominatus, inter praestantissimos poetas amorem celebrantes (العشّاق) numeratur. Carmina in laudem Majjae (Umm ṭaur majjà bint ᶜâzim ben ґalabà ben ᶜâzim [1]), cujus amore incensus erat, composuit. Praeterea aliam quoque feminam, cui nomen erat Charqâ, carminibus laudavit. Quanti eum Arabes veteres fecerint, intelligitur ex

[1]) Sic nomen ejus in الترجمات profertur.

verbis فتح الشعر بامرء القيس وختم بذى الرمّة, quibus Abû ʿamrû ben alʿalâ usus esse dicitur[1]). Ḍû-lrummà anno 117 obiit.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٥٣٤; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 447; Hariri (Sacy), p. ٢٨٠; Sacy, Anthologie Grammaticale, p. 146; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. II, p. 401. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5423.

VI. Garir.

Abû ḥaſrà garîr ben ʿatijjà ben alchatafâ altamîmî, vir celeber, nomine شاعر فحل dignissimus. Idem una cum Alfaraſdaq et Alachtal, qui omnes eadem aetate vixerunt laudesque Chalifarum ad familiam Umajja pertinentium celebrarunt, inter praestantissimos Islâmi poetas habentur et poetis anteislamicis Alaʿšâ, Zuhair, Alnâbiġà alḍubjânî aequiparari solent. Quod ad nostrum Ġarîr attinet, in omnibus carminum generibus, panegyrico (المديح), erotico (النسيب), satyrico (الهجآء) nec non in eo canendi more, quo propria gloria exhibetur (الفخر), excelluit. Maximam vero famam collegit satyris, quibus tum aemulatores suos, Alfaraſdaq et Alachtal, tum alios perstrinxit[2]). — Gente celeberrima Tamîm, ad quam

---

[1]) Leguntur etiam in commentario in Haririi Maqâmas haecce verba: قال ابو المطرّف لم يكن احد فى زمان ذى الرمة ابلغ منه شعرا ولا احسن منه جوابا وكان كلامه ابلغ من شعره وقيل احسن الجاهليّة تشبيها امرؤ القيس واحسن الاسلام تشبيها ذو الرمة.

[2]) Satyrae, quibus Ġarîr et Alfaraſdaq se mutuo insectati sunt, ab Abû ʿubaidà maʿmar ben muṭannâ († 210) et Abû gaʿfar mu-

etiam Alfaraſdaq pertinuit, oriundus eodem, quo hic, anno diem obiit supremum, annum dico 110.

De Ġarîr cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ١٣٩; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 294; Hágî Ch. Tom. III, p. 270; Sacy, Anthologie Grammaticale, p. 455; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. II, p. 283; Caussin de Perceval, Journal Asiat. Tom. XIV (Jul. 1834), p. 1—39. De Alfaraſdaq et Alachṭal cf. idem scriptor, l. c. Tom. XIII, p. 507.

VII. Alchansa.

Alchansâ cognomen est Tumâżir bint ᶜamrû poetriae illustris, quae postremo paganismi tempore primoque tempore Islami vixit. Haec inter mulieres, quae artem poeticam exercuerunt, locum obtinet omnium primum, sicut de ea testatur Alnâbiġà alḍubjânî, in foro ᶜUkkâẓ existimator carminum a poetis recitatorum, cujus judicio Alchansâ quoque versus suos subjecerat. Atque Ġarîr, qui, ut ipse de se praedicavit, omnes poetas antecelluerit, se tamen ab Alchansâ superatum confessus est, quemadmodum ex libro الترجمات apparet [1]). Imprimis Alchansâ laude eminet elegiarum, quibus mortem fratris Zachr deploravit. Qui quum incursione in fines Banû asad ben chuſaimà facta camelos eorum abstulisset, in proelio, quod hostes insequentes cum eo commiserant, a Rabîᶜà ben ṭaur alasadî vulnus acceperat, ex quo diu

---

ħammad ben ħabîb († 245) sub titulo نقائض جرير والفرزدق editae sunt; cf. Hâgî Ch. nr. 13952 (ubi tamen errore scriptum est نقائص).

[1]) Vid. Dissertationem meam De codice manuscripto &c. p. 14, VII.

aegrotans tandem mortuus est [1]). Alchansâ una cum mille hominum gentis Sulaim, ad quam pertinebat, Islamum anno higrae octavo amplexa [2]) etiam anno 636 p. Chr. n. in vivis fuit; isto enim anno pugnae Qadesiensi, in qua certarunt filii ejus, adfuisse narratur.

De Alchansâ cf. Caus. de Perc. Hist. des Arab. av. l'Islam. Tom. II, p. 511 et 547; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. I, p. 547; Hariri (Sacy), p. ٤٣٣ et ٤٤٨, ubi versus ex carminibus ejus excerpti leguntur. Reperiuntur etiam aliquot ejus versus in Hamâsa (Freyt. I, p. ٧٨١, II, p. 660; Rückert, p. 319). De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5414. Praeterea Caus. de Perc. citat Fresnel, Première lettre sur l'hist. des Arab. p. 63 et Rasmussen, Hist. praecip. arab. regn. p. 91.

VIII. Alargi.

ᶜAbdallah ben ᶜamrû, vulgo Alᶜargî appellatus, gente Qurais celeberrima oriundus [3]), poeta est carminibus amatoriis (الغزل) excellens, venationi voluptatibusque

---

[1]) الترجمات. De causa inimicitiae inter Banû asad ben chuſaimà et Banû sulaim, tribum Zachri, ortae notitias accuratiores profert Caus. de Pers. in Hist. des Arab. av. l'Islam. Tom. II, p. 556 sq. Quae ille (l. c. p. 562 et 563) de morbo et exitu Zachri dicit, eadem in الترجمات leguntur. De his rebus cf. etiam Freyt. Arab. Proverb. Tom. II, p. 251.

[2]) Cf. Caus. de Perc. Tom. III, p. 217, ubi adduntur verba: "Elle récita des vers à Mahomet, qui lui témoigna beaucoup d'estime."

[3]) Fuit enim nepos Chalifae ᶜUṭmân ben ᶜaffân. — De loco, a quo cognomen Alᶜargî ductum sit, vid. Dissert. meam De codice manuscripto &c. p. 15, VIII et ann. 4.

deditus [1]); vixit exeunte primo seculo ineunteque secundo. Amore Ġaidâe, matris Muhammad ben hišâm almachſûmî praefecti Mekkensis, captus erat. Quam ob causam a Muhammad ben hišâm in carcerem conjectus est, ubi per novem annos usque ad mortem permansit. In libro الترجمات traditum invenimus, insectatores Alᶜargî poetae, Muhammad ben hišâm et fratrem ejus Ibrâhîm, postquam Walîd ben jaſîd ben ᶜabd almalik imperium adierat, interfectos fuisse. Qua ex re confici potest, poetam nostrum sub Chalifa Hišâm ben ᶜabd almalik (105—125), quo regnante tum Ibrâhîm tum Muhammad urbi Mekka praefuerunt [2]), diem obiisse.

De Alᶜargî cf. Hariri (Sacy), p. ٣٧٨; Sacy, Anthologie Grammaticale, p. 453; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. II, p. 520 et 553; Hamâsa (Freyt. I, p. ٥٤٩, II, p. 313, Rück. II, p. 70).

IX. Abu dulama.

Abû dulâmà ſand ben algaun, origine Aethiops et مولى seu libertus familiae Asad, poeta fuit vita et moribus improbus, qui tempore ᶜAbbâsidarum primorum flo-

---

[1]) Apud Sacyum, qui in Anth. Gramm. vitam hujus poetae sec. opus Alsujûtîi شرح شواهد المغنى profert, haec leguntur: "Il se distingua dans la poésie érotique; il imita la manière d'Omar, fils d'Abou Rébia, le prit pour modèle et réussit bien en ce genre. Il avait une passion extrême pour le plaisir et pour la chasse, et ne se souciait de personne quand il s'agissait de satisfaire ce goût."

[2]) Ibrâhîm almachſûmî ab a. 106 ad a. 113 vel 114 et Muhammad almachſûmî ab a. 114 ad a. 125 praefecturam Mekkae (oppidorumque Medina et Tâif) obtinebant; cf. Wüstenfeld, Die Chroniken der Stadt Mekka, Tom. II, p. ١٧٨.

ruit. Maxime propter facetias jocosque, quibus Chalifas Alsaffâh (abû -lʿabbâs), Almanzûr et Almahdî oblectabat, et propter carmina, quibus laudes eorum celebrabat, notus est. Eum majori, quam alios poetas, gratiâ principum commemoratorum, imprimis Chalifae Abû gaʿfar almanzûr, floruisse ex verbis Abû -lfaragi ولم يصل الى احد من الشعراء ما وصل الى ابى دلامة من المنصور خاصّة apparet[1]). Abû dulâmà anno 161 vel, secundum alios, regnante Harûn alrašîd, i. e. post annum 170 obiit.

De Abû dulâmà cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ۲۴۳; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 534; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. III, p. 458; Dozy, Script. Arab. loci de Abbadidis, Tom. I, p. 305. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5240.

X. Albuhturi.

Abû ʿubâdà alwalîd ben ʿubaid, familiâ Banû buhtur, quae ad tribum Tai pertinet, oriundus ideoque Albuhturî cognominatus, inter praestantissimos Arabum poetas numeratur. Omnibus carminum generibus, excepto satyrico, eminuit. Imprimis vero carminibus excelluit panegyricis, quae in laudem Chalifarum, Mutawakkil (232—247) successorumque ejus, et Wezirorum componebat. Caeterum vestigia Abû Tammâmi illustris, quocum eadem aetate vixit[2]) amicitia ejus et favore gaudens, secutus est.

---

[1]) كتاب الاغانى (MS. Mus. Asiat. Petrop. p. 1259).

[2]) Abû Tammâm (de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ۱۴۹) et Albuhturî tertio higrae seculo floruerunt praeclarissimique hujus seculi viri exstiterunt. — Supra commemoravimus Ǧarîr, Alfaraſdaq et Alachtal poetas primi seculi praestantissimos. Secundo autem higrae seculo Abû nuwâs (de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ۱۹۹), Baššâr ben

Collegit enim, ut hic fecerat, carmina veterum poetarum in opus, quod Hamâsa (Hamâsa minor) inscribitur [1]). Diwanum ejus in ordinem redegerunt Abû bakr alzaulî et ᶜAlî ben ḥamſà alizfahânî, viri satis laudabiles, qui carmina etiam Abû Tammâmi aliorumque illustrium virorum collegerunt et digesserunt. Eundem Diwanum Abû -lᶜalâ aḥmad almaᶜarrî († 449, de quo mentio infra fiet) in epitomen عبث الوليد inscriptam coëgit. Commentarium ejus ᶜAbdallah ben ibrâhîm ben ᶜabdallah algabrî († 476) conscripsit. Praeterea Ḣasan ben biṡr alâmidî († 371) librum composuit, in quo sententias carminum poetae nostri exhibuit. Albuḥturî circa annum 284, octoginta annos natus, in Syria diem obiit supremum.

De Albuḥturî cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٧٩٣; Freytag, Selecta ex historia Halebi, p. 94 ann.; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. IV, p. 610; Sacy, Anthologie Grammaticale, p. 131 et 476. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5318.

XI. Alwawa aldimasqi.

Abû -lfarag muḥammad ben aḥmad alġassâni aldimaṡqî, cognomine Alwâwâ notus, unus fuit e poetis, quos in consuetudinem et amicitiam Saif aldaula, princeps Syriae illustris [2]), receperat. Dicunt eum antea munere praeconis in foro meloniario Damasci functum esse.

---

burd (de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ١١٩) et Abû -lᶜatâhijà (de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٩٣), qui iidem aequales fuerunt, laude poeseos inter omnes praestiterunt.

[1]) De Hamâsa Albuḥturîi et de aliis Hamâsa dictis operibus cf. Hâgî Ch. Tom. III, p. 115; cf. etiam Dozy, Catalogus &c. Tom. II, p. 5.

[2]) De eo infra (LVII) mentio fiet.

Alwâwâ aldimaśqî carmina mollia et lepida condidit. Mortuus est, ut ex libro الترجمات cognoscere licet, anno 390.

De eo cf. Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 770; Sacy, Chrestomathie Arabe, edit. secund. Tom. III, p. 77; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 340, ann. 12. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5257.

XII. Ibn sukkara alhasimi.

Abû -lhasan muhammad ben ᶜabdallah, vulgo Ibn sukkarà cognominatus familiaque Abbasidarum oriundus [1]), poeta celeber est, qui "in hippodromo impudentiae et licentiae currens" [2]) carmina sale jocisque plena et schematis figurisque insolitis ornata composuit. Aequalis fuit Ibn alhaggâgi anno 391 mortui, qui ejusdem poeseos generis laude floruit cujusque mentio infra (nr. LXVIII) fiet. Eadem, qua Ġarîr et Alfaraſdaq primo higrae seculo, celebritate Ibn sukkarà et Ibn alhaggâg quarto seculo gaudebant. Inter viros hujus seculi nemo nisi Almutanabbî, omnium Arabum poetarum, qui post Muhammad vixerunt, celeberrimus (de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٢٩; Hammer, Mutenebbi der grösste arab. Dichter; Dieterici, Mutanebbi und Seifuddaula &c.; Sacy, Crest. arab. Tom. III, p. 1 et 27), eos poeseos dignitate superavit. Ambo poetae Bagdadenses fuerunt. Diwanus Ibn sukkarae quinquaginta millia versuum continere diditur. Ibi multa carmina erotica, et quae الغزل vocant et

---

[1]) Ex posteris fuit Chalifae Almahdî ben abî gaᶜfar almanzûr. Quare quum, ut omnes Abbasidae, originem ab Hâśim, proavo Muhammad prophetae, duceret Alhâśimî appellatus est.

[2]) Verba sunt Alṭaᶜâlibîi in libro يتيمة الدهر; cf. De codice manuscripto &c. p. 17, nr. XII.

quae النسيب, inveniuntur. Ibn sukkarà anno 385 mortuus est.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٧٧; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. III, p. 117; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 85 et 912; Harîri (Sacy), p. ٣٩٣. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5189.

XIII. Abd alhamid.

Abû ġâlib ᶜabd alhamîd ben jahjâ, كاتب seu Scriba Chalifae Umajjadarum postremi Marwân ben muhammad, arte pulchrae scripturae excelluit et primus stilum elegantiorem et eloquentiam in epistolis adhibere coepit. Quam ob rem proverbii loco dicere solebant: بدت فتحت الرسائل بعبد الحميد وختمت بابن العميد et الكتابة بعبد الحميد وختمت بابن العميد[1]. Primus quoque epistolis salutationes laudationesque (التحميدات) inseruit. Praeterea in omnibus litterarum generibus versatus fuit. Teste doctissimo Herbelot commentarium in Euclidem quoque conscripsit. — ᶜAbd alhamîd anno 132, regnante Alsaffâh, Chalifa Abbasidarum primo, interfectus est.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٣١٩; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 173; Hariri (Sacy), p. ٣٥٣; Herbelot, Bibliotheque orientale (La Haye 1777—1779), Tom. II, p. 196 sub voc. Hamid; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. II, p. 219.

---

[1]) Ibn alᶜamîd (Abû -lfażl), anno 360 mortuus, Wezirus fuit Rukn aldaulae principis ad familiam Buwaih pertinentis († 366). De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٧٠٧ et Sacy, Chrest. arab. edit. secund. Tom. II, p. 57, ubi nomen ejus legitur Ebn -alomaíd.

XIV. Qudama ben gafar.

Abû -lwalîd qudâmà ben gaᶜfar, qui, ut ex libro الترجمات cognoscimus, opus سرّ البلاغة فى الكتابة (Arcanum eloquentiae de arte et officio scribarum) inscriptum (de quo cf. Hâgî Ch. nr. 7117) composuit, haud dubie idem est ac scriptor vulgo Abû -lfarag qudâmà ben gaᶜfar Scriba vel tantum Qudâmà ben gaᶜfar nominatus, qui eadem qua Ibn almuᶜtaff († 296, cf. de eo Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٣٤٨) aetate vixit atque, ut hic, de arte rhetorica disseruit. Ille inter alia opus confecit, quod نقد الشعر فى البديع (Pecunia poeseos de arte rhetorica) inscribitur. De hoc scriptore, quum apud auctores et Arabes et recentiores, mentionem ejus facientes, varia judicia et ex parte contraria legantur, quae inter se componere et ad certam rationem reducere longum est, satis habeam omnes, quos inveni, locos huc pertinentes afferre. Cf. Hâgî Ch. Tom. II, p. 33, 286, 605. III, p. 547. IV, p. 87. V, p. 79. VI, p. 330, 377; Hariri (Sacy), p. ٩; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. IV, p. 493 (sec. opus فهرست العلوم). V, p. 326; Reinaud, Géographie d'Aboulf. Introd. p. LX; Mehren, Die Rhetorik der Arab. p. 6; Journal Asiat. Jun. 1846, p. 587; Casiri, Catal. Tom. I, p. 56.

XV. Ibn abbad.

Alzâhib ibn ᶜabbâd (Abû -lqâsim ismaᶜîl ben abî -lhasan ᶜabbâd ben alᶜabbâs ben ᶜabbâd alrâlaqânî), Wezirus Muajjad aldaulae († 373) et Fachr aldaulae († 387), principum familiae Buwaih, illustrissimus, ingenii facultatibus, virtutibus, generositate excellens erat. Cognomen Alzâhib illi eam ob causam datum est, quod amicus vel socius (صاحب) fuit Weziri Ibn alᶜâmid (de

quo vid. supra p. 16 ann.). Deinde postquam ipse Weziratum adiit, hoc cognomen retinuit, quo postero tempore viros summo illo honore ornatos appellare solebant. Ibn ᶜabbâd majorem, quam ullus Chalifa, circa se habuit numerum virorum doctorum et poetarum laudem ejus carminibus persequentium [1]). Atque ipse egregie in philologia (litteris humanitatis) aliisque doctrinis excolendis et epistolis carminibusque componendis versabatur. Inter opera ejus notissimum est المحيط (Complectens), opus lexicologicum septem voluminibus constans (cf. Hâgî Ch. nr. 11567). Praeterea composuit الكشف عن مساوى شعر المتنبى (Detectio vitiorum in carminibus Almutanabbîi commissorum, cf. Hâgî Ch. nr. 10734); الكافى فى الرسائل (Liber sufficiens de epistolis, cf. Hâgî Ch. nr. 9708); كتاب الاعياد (Liber de festis diebus, cf. Hâgî Ch. nr. 9869); فضائل النيروز (Praestantia primi anni diei, cf. Hâgî Ch. nr. 9146); كتاب الامامة (Liber de Imamatu, cf. Hâgî Ch. nr. 9900), in quo de ᶜAlî ben abî тâlib et de tribus Chalifis, qui eum praecesserunt, disputat; كتاب الوزراء (Liber de Weziris, cf. Hâgî Ch. nr. 242 et 10606); كتاب اسماء الله تعالى وصفاته (Liber de nominibus et attributis Dei excelsi, cf. Hâgî Ch. nr. 9834); اقناع فى العروض (Institutio satisfaciens de arte metrica, cf. Hâgî Ch. nr. 1081) et جوهرة الجمهرة (Gemma collectionis), quod opus epitome est corporis lexicologici (الجمهرة فى اللغة) Ibn Duraidi (cf. Hâgî Ch. nr. 4202 et 4322). — Ibn ᶜabbâd natus est anno 326 (sec. alios 336) in urbe Tâlaqân vel, ut alii volunt, in urbe Izтachar. Obiit anno 385 (sec. alios 383) in urbe Rai et sepultus est prosequentibus funus ejus Fachr aldaula ingentique hominum multitudine in urbe Izfahan.

---

[1]) De nonnullis horum poetarum infra mentionem faciemus.

De Ibn ʿabbâd cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٥; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 212; Abulf. Ann. mosl. (Reiske), p. 312; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 115, 559 et 649; Sacy, Chrest. arab. edit. secund. Tom. II, p. 9 et 57; Herbelot, Bibliotheque orientale (La Haye 1777—1779), Tom. I, p. 619 sub voc. Ebad. De Diwano et epistolis ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5500 et 6434.

XVI. Altihami.

Abû -lhasan ʿalî ben muhammad, cognomine Altihâmî notus, poeta fuit in Syria florens [1]), quem Ibn Bassâm in opere suo الذخيرة et Albacharſî († 467, de eo cf. infra nr. LXXXV) in دمية القصر magna laude afficiunt. Inter praestantissima hujus poetae carmina elegia habetur, qua filium mortuum deploravit. Caeterum carmina etiam panegyrica condidit. In Aegyptum temporibus turbulentis (sub Chalifa Alhâkim biamrallah et filio ejus Alḍâhir, cf. Sacy, Exposé de la Religion des Druzes, Introd. et Chrest. arab. edit. secund. Tom. I, p. 93 seq.) cum litteris missus, in urbe Qahira captus est et in carcere Chiſânà albunûd appellato anno 416 interfectus.

De Altihâmî cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٣٨٣; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 316; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 688 et 778. VI, p. 995; Sacy, Chrest. arab. edit. secund. Tom. I, p. 130.

---

[1]) In hac regione vitam degit, sed forsitan in Tihâma natus sit, quum Altihâmî sit cognominatus.

XVII. Abu ishaq alzabi.

Abû ishaq ibrâhîm ben hilâl, vir magni nominis ex urbe Harrân ortus et religioni Sabaeorum deditus, primum كاتب الانشاء seu Cancellarius (a litteris publicis scribendis) et deinde Praefectus Diwani epistolarum componendarum (ديوان الرسائل) in urbe Bagdad fuit tempore, quo Muᶜiff aldaulà († 356) et filius ejus ᶜIff aldaulà († 367), principes familiae Buwaih, omne fere Chalifarum imperium ibi tenebant. Florentibus his viris munere Weziri quoque interdum fungebatur. Sed postquam ᶜAżud aldaulà († 372), frater Muajjad aldaulae et Fachr aldaulae supra (nr. XV) commemoratorum, sublato ᶜIff aldaula patrueli, Bagdado potitus est, Abû ishaq alzâbî honoribus suis dejectus subinde in carcere tenebatur. Mortuo autem ᶜAżud aldaula, priorem dignitatis gradum sub filiis ejus Zamzâm aldaula, Bahâ aldaula et Śaraf aldaula recuperavit. Alzâbî et doctrina et carminibus eminuit. Auctor est epistolarum [1]), quae inter Arabes maxima gaudent celebritate, et Historiae dynastiae Dailam seu Buwaih, quae التاجى (التاجى فى اخبار دولة الديلميّة, cf. Hâgî Ch. nr. 2061) inscribitur. Hunc titulum eam ob causam ei dedit, quod ᶜAżud aldaulà, cujus jussu composita est, cognomen تاج الملّة (Corona religionis) gerebat. Praeterea Historiam Wezirorum (اخبار الوزراء, cf. Hâgî Ch. Tom. I, p. 192) et opera, quae ad geometriam et astronomiam pertinent, reliquit. Carminibus suis locum insignem inter poetas Arabum obtinet [2]). Mortuus est nonaginta annos natus in urbe Bagdad anno 384.

---

[1]) De his epistolis cf. Dozy, Catal. MSS. orient. Bibl. Lugduno-Batavae, Tom. I, p. 144.

[2]) Apud cel. Chwolsohn, qui hunc scriptorem et poetam inter alios

Praeter Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ١٤ et Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 31 cf. de eo Abulf. Ann. mosl. (Reiske), p. 311; Abû -lfarag (Pocock, Historia Dynastiarum), p. 330; Herbelot, Bibliotheque orientale (La Haye 1777—1779), Tom. III, p. 145 sub voc. Sabi; Chwolsohn, Die Ssabier und der Ssabismus, Tom. I, p. 588; Zeitschrift für d. Kunde d. Morgenl. Tom. III, p. 64; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 476 et 642.

XVIII. Abu muhammad alchasin.

Abû muhammad ᶜabdallah ben ahmad alchâſin cum Ibn alchâſin (Abû -lfażl ahmad ben muhammad) poeta, qui anno 518 obiit (cf. de eo Ibn Chall. ed. Wüst. nr. 61 et Hâgî Ch. Tom. III, p. 245), non est confundendus. Poeta, de quo hic agitur, quarto seculo floruit et unus fuit e familiaribus Weziri Alzâhib ibn ᶜabbad celeberrimi (cf. supra nr. XV), cujus et Bibliothecae (خزانة الكتب) in urbe Izfahân praeerat (unde cognomen Alchâſin) et laudem carminibus persequebatur. In oratione ejus eloquentiam magnam cum jucunditate conjunctam invenias [1]).

De Alchâſin cf. quae habet Hammerus sec. opus يتيمة الدهر in Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 941.

Sabaeos doctos commemorat vitam ejus exponens, haec de eo leguntur: "Er war — Dichter im strengsten Sinne des Wortes. Er dichtete nicht, wie die meisten Dichter jener Zeit, deren Poesie mehr oder minder in Lobhudeleien der Grossen bestand und deren Verse, einer wirklichen und wahrhaften Poesie baar, grösstentheils nur ein Wort- und Reimgeklingel sind; die Poesie floss aus der Tiefe seines poetischen Gemüthes und er sang, wie der Vogel im Frühling, weil ihn sein Gemüth dazu trieb."

[1]) الترجمات.

XIX. Ibn babak.

Abû -lqâsim ᶜabd alzamad ben manzûr, vulgo Ibn bâbak appellatus [1]), poeta fuit ᶜIrâqensis, qui teste Ibn Challikâno carmina multa et excellentia composuit. Plurima eorum sunt carmina panegyrica, quae in laudem Alzâḥib ibn ᶜabbâd supra commemorati, Sâbûr ben ardaṡîr Weziri illustrissimi († 416) et aliorum scripsit. Ibn bâbak anno 410 Bagdadi mortuus est.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٣٩٩; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 144; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 685, 921 et 951. De Diwano ejus, cf. Hâgî Ch. nr. 5169.

XX. Alutbi.

Abû ᶜabd alraḥman muḥammad ben ᶜubaid allah albazrî, vulgo Alᶜutbî cognominatus, poeta illustris fuit et philologus praestans, qui notitias de rebus gestis et dies proeliis Arabum insignes (الاخبار وايام العرب) memoriae tradebat. Ab eo conscripti et editi complures libri afferuntur, ut ([2] كتاب الخيل (de equis), كتاب اشعار الاعاريب (de carminibus Arabum campestrium), كتاب اشعار النساء اللاتى احببن ثم ابغضن (de carminibus mulierum quae primum amarunt et deinde oderunt), كتاب الذبيح (de hostia), كتاب الاخلاق (de indole) et alii. Alᶜutbî, qui inter

---

[1]) Proavo ejus nomen fuit Bâbak.

[2]) Apud Hâgî Ch. (Tom. III, p. 120) mentio fit operis ab Alᶜutbî compositi, quod حيل (Artificia) inscribatur. Sed verisimile videtur, hoc opus idem esse ac كتاب الخيل ab Ibn Chall. commemoratum, cujus titulum vel Hâgî Ch. vitiose (حيل pro خيل vel الخيل) scripserit vel Flügel. haud recte legerit.

praestantissimos poetarum recentiorum ab Ibn Challikâno numeratur, a Banû umajja, tribu gentis Qurais̆ celeberrima, originem traxit (unde Alqurâs̆î alamawî dictus est). Non confundendus est cum Alᶜutbî, auctore Historiae اليمينى inscriptae [1]) inclyto, qui circa annum 400 mortuus est (cf. de eo Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 523). Alᶜutbî noster mortuus est anno 228.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٧٤; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. III, p. 108; Ibn Qutaiba (Wüstenf.), p. ٣٩٧; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. III, p. 427 et 717.

XXI. Abu bakr alchuwarasmi.

Abû bakr muhammad ben alᶜabbâs alchuwâraſmî poeta et philologus, qui tempore Alzâhib ibn ᶜabbâd doctissimi florens consuetudine familiaritateque hujus Weziri aliquandiu usus est. Abû bakr alchuwâraſmî in lexicologia et geneologia atque in epistolis componendis [2]) bene versabatur. Natus fuit in Chuwâraſm, sed juvenili aetate e patria egressus regionem ᶜIrâq et Syriam peragravit scientiam litterarum a viris doctis harum regionum sibi comparans. Tandem urbem Nîsâbûr habitavit, ubi anno 383 (sec. alios 393) diem obiit supremum [3]). — Diwanum carminum et Diwanum epistolarum reliquit.

---

[1]) Hoc opus ita inscriptum est, quia Mahmûd Gasnawida († 422), cujus historiam exhibet, يمين الدولة cognominabatur. Sub titulo Otby's Tarykh Yamyny or the History of Mahmud of Ghazna a cel. A. Sprenger typis editum est.

[2]) Cf. de epistolis ejus Dozy, Catal. MSS. orient. Bibl. Lugduno-Batavae, Tom. I, p. 143.

[3]) In libro الترجمات haec de eo leguntur: شرق بعد ان غرب

De Abû bakr alchuwâraſmî cf. Ibn Chall. (Wüstenf.) nr. ٩٧٥; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. III, p. 110; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 481 et 634. De Diwano carminum ejus, cf. Hâgî Ch. nr. 5234.

XXII. Abu -lfazl alhamadani.

Abû -lfażl aḥmad ben alḥusain ben jaḥjâ ben saᶜîd alhamadânî, vulgo Badîᶜ alſamân (Miraculum temporis) vel Albadîᶜ alhamadânî (Admirabilis Hamadanensis) appellatus, locum in litteris Arabum praecipuum obtinet. Composuit enim primus inter Arabes Maqâmas (مقامات, consessus), quas vocant, seu narrationes magnum proverbiorum, figurarum et omnis generis ornamentorum numerum continentes, ad quarum exemplum Alḥarîrî († 516), vir hoc scripturae genere longe celeberrimus, suas postea contexuit. His Maqâmis, in quibus fabulae de viro quodam Abû -lfatḥ aliskandarî nominato narrantur, Abû -lfażl alhamadânî se magna eloquentia et perfecta linguae Arabicae cognitione insignem praestitit. Praeceptor ejus in Philologia fuit Ibn fâris (Abû -lḥusain aḥmad ben fâris alrâſî), auctor operis مجمل في اللغة (Collectio de Lexicologia) celeberrimus († 390, de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٤٨). Abû -lfażl alhamadânî epistolas quoque mirabiles (الرسائل البديعة, Ibn Chall.) conscripsit. Quae epistolae a controversia acri profectae sunt, in qua cum Abû bakr alchuwâraſmî (de quo cf. supra nr. XXI) in urbe

---

وعاود بلاده — — ووافى نيسابور واتّصل بابى نصر احمد بن على الميكالى ثم قصد سجستان وتمكن من واليها ابى الحسين ابن ظاهر بن محمد ومدحه واخذ جوائزه وخلعه ثم هجاه واوحشه — — ثم عاود نيسابور واقام بها الى ان وفق التوفيق.

Nîsâbûr versabatur. Mortuus est quadraginta annos natus in urbe Harât anno 398.

De Abû -lfażl alhamadânî cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٥١; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 112; Hâgî Ch. Tom. VI, p. 54; Herbelot, Bibliotheque orientale (La Haye 1777—1779), Tom. II, p. 194 sub voc. Hamadani; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 483, 543, 573, 994; Sacy, Chrest. arab. edit. secund. Tom. III, p. 259 et ٧٨, ubi sex Maqâmae leguntur. Praeterea nonnullas Maqâmas edidit Scheidius in libro Consessus Hamadanensis vulgo dicti Bedi al Zaman.

XXIII. Rasid aldin alwatwat.

ᶜAbd algalîl ben muhammad alᶜumarî albalchî, Raśîd aldîn cognominatus et propter parvam staturam celeremque linguam Alwatwât (Hirundo) vulgo appellatus, poeta Persicus est ab ᶜUmar Chalifa oriundus, qui carmina et opera arabice quoque composuit. Hic poeta, qui Scriba fuit Sultani Chuwâraſmschâh Atsiſ ben muhammad († 551) et summa gratia floruit, maximam sibi comparavit famam opere persice scripto, quod artem metricam et poeticam tractat sub titulo حدائق السحر فى دقائق الشعر (Horti magici de subtilitatibus poeseos). Cujus operis commentarium vel potius compendium in duas partes divisum et (1 شقائق الحدائق vel حقائق الحدائق (cf. Hâgî Ch. nr. 4553) inscriptum edidit Śaraf aldîn muhammad alrâmî. Praeterea Alwatwât cen-

---

1) Apud Hâgî Ch. Tom. III, p. 21 legitur شقائق الحقائق, quod in شقائق الحدائق haud dubie mutandum sit (cf. l. c. nr. 7627 et quae annotavit Flügel. Tom. VII, p. 705).

tum dicta vel apophtegmata unius cujusque ex Chalifis Abu bakr, ʿUmar, ʿUṭmân et ʿAlî collegit et persice commentatus est. Libri haec dicta continentes sunt: تحفة الصديق الى الصديق (Donum quod Alziddîq amico (alzadîq) offert), dicta Chalifae Abu bakr alziddîq continens (cf. Hâgi Ch. nr. 2605); فصل الخطاب (Distinctio orationis), dicta Chalifae ʿUmar ben alchaṭṭâb [1]) continens (cf. Hâgî Ch. nr. 9059); انس الملهفان (Societas afflicti), dicta Chalifae ʿUṭmân ben ʿaffân continens (cf. Hâgî Ch. nr. 1337) et مطلوب كل طالب (Objectum studii cuivis studioso necessarium), effata Chalifae ʿAlî ben abî ṭâlib [2]) continens (cf. Hâgî Ch. nr. 12273). — Caetera ejus opera sunt: ابكار الافكار (Primitiae cogitationum), opus de epistolis et carminibus quatuor partibus constans, quarum duae priores arabice et duae posteriores persice sunt scriptae (cf. Hâgî Ch. nr. 27); حمد وثنا (Laus et encomium), lexicon persicum ligata oratione compositum (cf. Hâgî Ch. nr. 4643); غرر الاقوال ودرر الامثال (Splendores dictorum et margaritae proverbiorum, cf. Hâgî Ch. nr. 8584) et فرائد القلائد (Gemmae monilium pretiosae, cf. Hâgî Ch. nr. 8957). — Rašîd aldîn alwaṭwâṭ quindecim millia versuum, quorum plu-

---

[1]) Pro ʿUmar ben alchaṭṭâb Hâgî Ch. habet ʿAlî ben abî ṭâlib, quod, ut mihi videtur, errore scriptum est. Est enim paronomasia in his titulis adhibita (ut الصِدِيق et الصَدِيق) observanda; quae si hoc quoque loco retinetur, necesse est legamus ʿUmar ben alchaṭṭâb (الخِطَاب et الخَطَّاب). Quae lectio etiam occurrere videtur in uno ex iis codicibus operis Hâgî Chalifae, quibus usus est Flügel (cf. Ann. Tom. VII, p. 823). Praeterea mox videbimus, librum dicta Chalifae ʾAlî ben abî ṭâlib continentem مطلوب كل طالب inscriptum esse.

[2]) Hoc opus a cel. Fleischer sub titulo Alis hundert Sprüche, arabisch und persisch paraphrasirt von Raschideddin Watwat (Lipsiae 1837) editum et germanice redditum est.

rimi persice compositi sunt, fecisse dicitur. Mortuus est teste Hâgî Chalifa anno 573, teste Hammero anno 578.

De eo cf. Herbelot, Bibliotheque orientale (La Haye 1777—1779), Tom. III, p. 122 sub voc. Reschidi; Hammer, Gesch. der schönen Redekünste Persiens, p. 119. De opere حدائق السحر cf. Hâgî Ch. nr. 4433.

XXIV. Ali ben algahm.

Abû -lhasan ʿalî ben algahm, a Banû sâmà, tribu gentis Quraiš, oriundus ideoque Alsâmî appellatus, poeta bonus fuit [1]), qui primum cum Ǧaʿfar almutawakkil Chalifa († 247) familiariter vixit, sed postea propter satyras, quibus Chalifam perstrinxerat, gratia ejus excidit. Praeter alia carmina Qazidam excellentem composuit, quae nomine الجهمية celebrata est. ʿAlî ben algahm anno 249 obiit.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ۴۷۳; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 294; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. IV, p. 556 (sec. Ibn Chall. et opus كتاب الاغانى). De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5576.

XXV. Ambo Alchalidi (الخالديان).

Abû bakr muhammad ben hâšim alchâlidî et frater ejus Abû ʿuṭmân saʿîd ben hâšim alchâlidî inter poetas fuerunt, qui consuetudine et amicitia utebantur Saif aldaulae, principis familiae Hamdân illustrissimi

---

[1]) Ibn Chall. profert de eo haec Alcharîbi, auctoris Historiae Bagdadi illustris († 463), verba: له ديوان شعر مشهور وكان جيد الشعر وكان متدينا فاضلا et عالما بفنونه.

(de quo cf. infra nr. LVII). Qazidas composuerunt, quibus laudem hujus principis celebrabant, et alia quoque carmina, quorum multa ambobus communia sunt et non magis ad unum quam ad alterum referuntur. Scripserunt etiam opus de monasteriis (كتاب الديارات), i. e. librum, qui poemata de monasteriis composita et expositionem rerum in iis gestarum continet. Ex libro الترجمات apparet, Muhammad alchâlidî, fratrem natu majorem, anno 379 et Saᶜîd alchâlidî, fratrem natu minorem, anno 390 obiisse.

De his poetis cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٣٥٩, p. ٦٥, nr. ٣٥٩, p. ٣٥ et nr. ٤٩٣, p. ٨٤; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 557, Tom. II, p. 262 et 337; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 705.

XXVI. Altaalibi.

Abû manzûr ᶜabd almalik ben muhammad ben ismaᶜîl alṭaᶜâlibî alnîsâbûrî, scriptor notissimus († 429), qui celebratum librum biographicum et anthologicum يتيمة الدهر فى محاسن اهل العصر (Margarita temporis pretiosa de carminibus pulchris virorum aequalium) inscriptum composuit. Hic liber in quatuor partes divisus est, quarum prima complectitur poetas Syriae (imprimis Banû hamdân illustres poetasque in consuetudinem eorum receptos) et Aegypti, secunda poetas qui in regione ᶜIrâq dominante ibi dynastia Banû buwaih florebant, tertia poetas qui in Persia (regione montana, Ġurgân, Tabaristân) sub principibus familiae Banû dailam vivebant et quarta poetas in Churâsân, Mâwarâalnahr et Ġaſnà (Persia orientali), ubi regnabant Samanidae et Gasnawidae, florentes. Scriptus est ad continuandum opus البارع فى اخبار الشعراء (Opus excellens de historiis poetarum) ab

Harûn almunaggim († 288) compositum et numeratur inter praestantissima opera philologica et elegantia compositioneque perfectissima. — Praeter librum يتيمة الدهر Alṭaᶜâlibî teste Hâgî Chalifa librum quoque يتيمة اليتيمة vel rectius تتمّة اليتيمة (cf. Flügel. Tom. VII, p. 934), i. e. supplementum libri اليتيمة, edidit. — Caetera ejus opera sunt: احاسن المحاسن, opus sententias orationis et ligatae et solutae pulchras continens (جمع فيه محاسن النظم والنثر, cf. Hâgî Ch. nr. 115); كتاب الاعجاز والايجاز (Liber de miraculis eloquentiae et de breviter dictis [1]), cf. Mehren, MSS. orient. Bibl. Havniensis, Pars II, p. 122 et Hâgî Ch. nr. 914); برد الاكباد (Frigus vel recreatio jecoris), sententias, dicta tradita et poemata (الحكم والآثار والاعشار) continens (cf. Hâgî Ch. nr. 1771); التمثّل والمحاضرة (Prolatio proverbiorum et sermocinatio), locos ex libris revelatis excerptos, verba prophetarum virorumque magnorum, proverbia Arabum Persarumque praestantissima et sententias philosophorum continens (جمع فيه من الكتب المنزلة وكلام الانبياء والاكابر وعيون امثال العرب العجم وحكم الفلاسفة, cf. Dozy, Catal. MSS. orient. Bibl. Lugduno Batavae, Tom. I, p. 196 et Hâgî Ch. nr. 3585); ثمار القلوب (Fructus cordium, cf. Gayangos, History of the Moh. Dynast. in Spain, Tom. I, p. 330—332 et Hâgî Ch. nr. 3838); سحر البلاغة وسرّ البراعة (Magia eloquentiae et arcanum artis praestantissimae, cf. Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. I, p. 146 et Hâgî Ch. nr. 7054); سرّ الادب فى مجازى كلام العرب (Arcanum philologiae de metaphoris sermonis Arabum, cf. Hâgî Ch. nr. 7100, cf. etiam Dozy, Catal.

---

[1]) Hoc opus Valeton sub titulo Specimen e litteris orient. exhibens Talibii syntagma dictorum brevium et acutorum (Lugduni Bat. 1844) latine vertit et typis edidit.

Tom. I, p. 70); سيرة الملوك (Mores regum, cf. Hâgî Ch. nr. 7343); فقه اللغة (Scientia linguae, cf. Hâgî Ch. nr. 9177); كتاب الغلمان (Liber de pueris, cf. Hâgî Ch. nr. 10351); الكشف والبيان (Revelatio et expositio, cf. Hâgî Ch. nr. 10771); اللآلئ والدرر (Margaritae et uniones, cf. Hâgî Ch. nr. 11013); لطائف المعارف (Facetiae notitiarum, cf. Dozy, Catal. Tom. I, p. 221 et Hâgî Ch. nr. 11134); المبهج (Liber exhilarans, cf. Hâgî Ch. nr. 11340); مرآة المؤرات (Speculum animorum virilium, cf. Hâgî Ch. nr. 11744); مؤنس الوحيد فى المحاضرات (Comes solitarii de sermocinatione vel disceptatione [1]), cf. Hâgî Ch. nr. 13454); نهاية فى الكناية (Summus terminus de metonymia, ct. Hâgî Ch. nr. 14099, cf. etiam nr. 10427); من غاب عنه المطرب (Opus ad ejus usum compositum cui deest musicus exhilarans, cf. Ibn Chall. et Casiri, Catal. Tom. I, p. 89); كتاب يواقيت المواقيت (cf. Dozy, Catal. Tom. I, p. 216 et Casiri, Catal. Tom. I, p. 132); كتاب الطرائف واللطائف (cf. Casiri, Catal. Tom. I, p. 155 et Dozy, Catal. Tom. I, p. 219, ubi pro الطرائف legitur الظرائف); كتاب لطائف الصحابة والتابعين (cf. Dozy, Catal. Tom. I, p. 195).

De Alṭaʿâlibî cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٣٩١; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 129; Herbelot, Bibliotheque orientale (La Haye 1777—1779), Tom. III, p. 475 sub voc. Thaʿlebi; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 591 et 838. De opere اليتيمة cf. Hâgî Ch. nr. 14452 et Nicoll, Catalog. MSS. orient. Bibl. Bodlej. Tom. II, p. 314.

---

[1]) Exstat editio hujus operis sub titulo Der vertraute Gefährte des Einsamen in schlagfertigen Gegenreden von G. Flügel mit einem Vorworte von Joseph von Hammer (Viennae 1829).

XXVII. Ibn nubata.

Abû nazr ᶜabd alᶜaſîſ Ibn nubâtà, poeta a Banû saᶜd, tribu gentis Tamîm, oriundus, eadem, qua Saif aldaulà illustris, aetate floruit et carmina in laudem hujus principis composuit. Quibus ex carminibus notissimum est Qazida Lâmijja, i. e. Qazida in Lâm exiens. Etiam laudes Ibn alᶜamîd, Weziri celeberrimi (de quo vid. supra p. 16 ann.), aliorumque virorum eminentium Ibn nubâtà Qazidis celebravit [1]). Teste Ibn Challikâno Diwanum magnum edidit, cujus major pars praestans est (معظم شعره جيد وله ديوان كبير). — Ibn nubâtà anno 405 in urbe Bagdad obiit.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٣٩٩; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 138; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 580, 684 et 754. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5267.

XXVIII. Abd alwahhab almaliki.

Abû muhammad ᶜabd alwahhâb ben ᶜalî (ben nazr ben ahmad ben alhusain ben harûn ben mâlik ben rauq alṭaᶜlabî albaġdâdî) jurisconsultus celeber fuit sectam vel systema Imâmi Mâlik († 179, cf. de eo Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٥٩٠) secutus [2]). Composuit de doctrinis hujusce

---

[1]) Ibn Chall. dicit: طاف البلاد ومدح الملوك والوزراء والرؤساء; cf. etiam De codice manuscripto, p. 26, nr. XXVII.

[2]) Verba, quibus de eo utitur Ibn Chall., sec. versionem Slanii proferam. Haec sunt: "He was a trustworthy traditionist, and an abler jurisconsult than he was never met with among the Malikite doctors. In the examination of legal points he displayed great acuteness, and the exposition of the results to which he thus attained was marked by great

sectae librum تلقين فى الفروع (Institutio de partibus juris specialibus, cf. Hâgî Ch. nr. 3571) inscriptum, qui quamquam parvus volumine est in optimis et ad docendum utilissimis numeratur. Praeter hunc librum Ibn Challikân alium ab eo conscriptum commemorat, المعونة (Adjumentum, apud Hâgî Ch. nr. 12436), qui commentarius est epistolae vel tractatus cujusdam (المعونة فى شرح الرسالة) cujusque argumentum igitur est philologicum. Caeterum ᶜAbd alwahhâb almâlikî etiam poeta satis egregius fuit. Mortuus est in Aegypto anno 422.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ۴۱۱; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 165; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 175.

XXIX. Abu -lhasan algurgani.

Qâdî Abû -lhasan ᶜalî ben ᶜabd alᶜaſîſ algurgânî in variis scientiarum generibus bene versatus fuit. Imprimis vero jurisprudentiâ, qua in disciplina systema Imâmi Alšâfiᶜî († 204, cf. de eo Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ۵۹۹) secutus est, philologiâ et carminibus, quorum magnum condidit numerum, excelluit. In eo scriptura Ibn muqlae, Weziri notissimi († 327, de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ۷۰۸), prosa Algâhiṭi († 255, de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ۵۱۷) et poesis Albuhturîi (de quo cf. supra p. 13) teste celeberrimo Alṭaᶜâlibî conjunctae fuerunt (مجمع خط ابن مقلة الى نثر الجاحظ ونظم البحترى). Abû -lhasan algurgânî unus fuit e familiaribus Weziri Alzâhib ibn

---

clearness. He filled the place of kâdi at Bâdarâya and Bâkusâya; towards the latter period of his life he travelled to Egypt, in which country he died."

ʿabbâd. Auctor est operis الوساطة بين المتنبى وخصومه (Intercessio inter Almutanabbî et adversarios ejus [1]), cf. Hâgî Ch. nr. 14210) et alius operis, quod كتاب الوكالة (Liber procurationis, cf. Hâgî Ch. nr. 10618) inscriptum quatuor millia quaestionum tractat. Obiit in urbe Nîsâbûr anno 366, sec. alios in urbe Rai anno 393 (Abulfed.) vel 392.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ۴۳۷; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 221; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 200, 216, 226, 801 et 960. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5352.

XXX. Abu -lfarag alizfahani.

Abû -lfarag ʿalî ben alhusain, vulgo Alizfahânî vel Alkâtib alizfahânî appellatus, auctor celebrati operis vitas et carmina poetarum exhibentis كتاب الاغانى (Liber cantilenarum), inter omnes Arabes cognitione carminum, historiarum, genealogiarum, traditionum eminet. Praeter كتاب الاغانى, cui, ut dicit Hâgî Chalifa, ex omnium consensu simile nunquam compositum sit cujusque partem cel. Kosegarten arabice et latine edidit, permulta alia opera conscripsit, e quorum numero sunt: (2 كتاب القيان (Liber de cantricibus); كتاب الاماء الشواعر (Liber de servis poetriis, cf. Hâgî Ch. nr. 1172); كتاب الديارات (Liber de monasteriis, cf. Hâgî Ch. nr. 5146); كتاب دعوة التجار (Liber de postulationibus mercatorum, cf. Hâgî Ch. nr. 5089);

---

[1]) Scripsit hoc opus ad refutandum librum الكشف عن مساوى شعر المتنبى a Weziro Ibn ʿabbâd compositum (cf. supra p. 18).

[2]) Hoc opus, de quo mentionem facit Ibn Chall., est haud dubie idem atque opus نزهة الملوك والاعيان فى اخبار القيان المغنيات الدوائل الحسان ab Hâgî Ch. (nr. 13731) commemoratum.

كتاب مجرّد الاغانى (Liber solas cantilenas complectens); كتاب جحظة البرمكى vel اخبار جحظة (Historia Ǵaḥṭà Barmakidae, cf. Hâgî Ch. nr. 190); كتاب مقاتل الطالبيين (Liber de posteris ʿAlî Chalifae interfectis); كتاب نسب بنى عبد شمس (Liber de genealogia Banû ʿabd šams [1]), cf. Hâgî Ch. nr. 13765); كتاب ايام العرب (Liber de diebus proeliis Arabum insignibus, cf. Hâgî Ch. nr. 1513); كتاب اعيان الفرس (Liber de viris Persarum illustribus, cf. Hâgî Ch. nr. 974); جمهرة الانساب (Corpus genealogiarum, cf. Hâgî Ch. nr. 4201); كتاب الغلمان (Liber de pueris, cf. Hâgî Ch. nr. 10351) et alia. — Abû -lfarag alizfahânî anno 284 natus fuit; obiit Bagdadi anno 356.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٤٥١; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 249; Abulf. Ann. mosl. (Reiske), p. 285; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 549; Quatremère, Journal Asiat. Tom. XIV (Nov. 1835), p. 385. De كتاب الاغانى cf. Hâgî Ch. nr. 980; Moeller, Catal. Bibl. Goth. p. 178. De caeteris operibus ejus cf. (praeter Ibn Chall. et Moeller.) Kosegarten, Ali Ispahanensis Liber cant. Praefat. p. 195 et Hâgî Ch. (praeter locos jam citatos), nr. 312, 2523, 3082 et 9031.

XXXI. Ibn alrumi.

Abû -lḥasan ʿalî ben alʿabbâs, nomine Ibn alrûmî (Filius Graeci) appellatus, poeta temporibus Chalifae Almuʿtamid († 279) florens, excelluit sententiis figurisque novis et insolitis. Qazidas longas condidit atque etiam carmina brevissima, quorum multa sunt argumenti satyrici [2]).

---

[1]) Etiam genealogias Banû šaibân, Banû kilâb aliarumque tribuum edidit.

[2]) In Freytagii Darst. d. Arab. Versk. p. 403 haec leguntur: "Ebn

Abû bakr alzaulî († 335, de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٩٥٩) Diwanum ejus ad litteram digessit; celeberrimus Ibn Sînâ († 428, de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ١٨٩) carmina inde excerpsit atque enarravit. Ibn alrûmî anno 283 (sec. alios 284 vel 276) in urbe Bagdad obiit, a Weziro Abû -lḥusain alqâsim ben ᶜubaid, qui satyras ejus timuit, veneno sublatus.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٣٧٣; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 297; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. IV, p. 598. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5186.

XXXII. Abu -lqasim altanuchi.

Qâdî Abû -lqâsim ᶜalî ben muḥammad altanûchî, a gente Qużâᶜà oriundus, vir fuit magna doctrina insignis. Excelluit enim non tantum jurisprudentia, sed etiam grammatica, philologia, re traditionaria [1]) et carminibus. Praeterea in astrologia et doctrinis Muᶜtaſilitarum vel Schismaticorum [2]) bene versabatur. Abû -lqâsim altanûchî unus fuit e viris eminentibus, qui cum Almu-

---

Alrumi zeichnet sich durch die Neuheit im Sinne und in Bildern, doch am meisten in der Satyre aus, so dass man sprichwörtlich sagt, أهجا من ابن الرومى, zur Satyre geneigter oder darin ausgezeichneter als Ebn-Alrumi."

[1]) Dicunt eum viginti millia traditionum memoria tenuisse.

[2]) المعتزلة est secta quaedam scholastica, cujus auctor fuit Wâzil ben ᶜaṭâ († 131, de eo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٧٩١). De hac secta et de origine ejus cf. Ibn Chall. l. c.; Pocock, Spec. hist. Arab. (Oxoniae 1650), p. 211; Herbelot, Bibl. orient. (La Haye 1777—1779), Tom. II, p. 737 sub voc. Motazelah; Sacy, Chrest. arab. edit. secund. Tom. I, p. 351.

hallabî, Weziro Muᶜiff aldaulae celeberrimo († 352, de eo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ١٧٧), Bagdadi conjunctissime vixerunt. Antiochiae anno 278 natus, obiit Bazrae anno 342. Diwanum carminum reliquit.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٣٧٩; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 304; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 423, 697 et 905.

XXXIII. Almutamid ala -llah [1]).

Almuᶜtamid ᶜalâ -llah (Abû -lqâsim muhammad ben almuᶜtażid abî ᶜamrû ᶜabbâd), anno 488 mortuus, celeberrimus fuit inter reges dynastiae illius Banû ᶜabbâd, quae quinto higrae seculo Hispali et Cordubae floruit.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٩٧; Dozy, Hist. Abbad. Tom. I, p. 37, 296 et 383; Gayangos, Hist. of the Moh. Dyn. in Spain, Tom. II, p. 252 seq. et 300; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 64.

XXXIV. Alrazi billah.

Alrâżî billah (Abû châlid jaſîd ben almuᶜtamid ᶜalâ -llah), anno 484 mortuus, filius regis proxime nominati fuit.

---

[1]) Viri, in his numeris sequentibus (XXXIII—LV) commemorati, Reges et Weziri Hispanienses sunt, qui in litteris, praecipue in carminibus et epistolis componendis excelluerunt. Sunt igitur viri in historia litterarum haud minoris aestimandi, quam plures inter caeteros Arabum poetas et scriptores, quorum hoc in libello mentio fit. Sed quoniam vitae eorum, libro الترجمات insertae, ut in dissertatione De codice manuscripto &c. jam monui, ex libro desumptae sunt, de quo nunc disputare nobis non est propositum, libro scilicet Ibn Châqâni قلائد العقيان, non opus esse videtur, ut multis de eis utamur verbis. Indicabo tantum, quinam fuerint hi viri, et praeterea aliquot libros typis editos referam, in quibus res ad notitiam eorum pertinentes inveniuntur.

De eo cf. Dozy, Hist. Abbad. Tom. I, p. 168 et 417; Gayangos, Hist. of the Moh. Dyn. in Spain, Tom. II, p. 253; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 85.

XXXV. Almutawakkil ala -llah.

Almutawakkil ᶜalâ -llạh (Abû muhammad ᶜumar ben almuṭaffir), anno 487 mortuus, urbis Badajoz rex fuit, a familia Banû -lafras ortus.

De eo cf. Gayangos, Hist. of the Moh. Dyn. in Spain, Tom. I, p. 370 ann. 33, Tom. II, p. 256 et 296; Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. II, p. 212 et 213; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 72.

XXXVI. Almutazim billah.

Almuᶜtazim billah (Abû jahjâ muhammad ben maᶜn ben zumâdih), anno 484 mortuus, Almeriae rex fuit.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٩٨; Gayangos, Hist. of the Moh. Dyn. in Spain, Tom. I, p. 134 et 417, Tom. II, p. 257; Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. II, p. 40 et 214; Dozy, Recherches sur l'hist. et la litt. de L'Espagne, second. edit. Tom. I, p. 246; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 69.

XXXVII. Ibn rasin.

Hâgib Ḍû-lriâsatain Abû marwân ᶜabd almalik ben rafîn, anno 496 mortuus, dominus fuit urbis Santa Maria regionisque Alsahlà.

De eo cf. Gayangos, Hist. of the Moh. Dyn. in Spain, Tom. II, p. 507; Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Es-

curial. Tom. II, p. 216; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 78 et 192.

XXXVIII. Ibn Tahir.

Raîs Abû ᶜabd alraḥman muḥammad ben ṭâhir, anno 507 mortuus, Murciae dominus fuit.

De eo cf. Gayangos, Hist. of the Moh. Dyn. in Spain, Tom. II, p. 511; Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. II, p. 215; Dozy, Recherches sur l'hist. et la litt. de l'Espagne, second. edit. Tom. II, p. 8, 30, append. XXXII et al. loc.; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 549.

XXXIX. Ibn ammar.

Ḍû -lwiſâratain Abû bakr muḥammad ben ᶜammâr, anno 477 mortuus, primum Wezirus fuit Almuᶜtamid ᶜalâ -llah, regis Hispalensis supra (nr. XXXIII) commemorati; deinde quum ab hoc principe defecisset, imperium urbis Silves aliquamdiu tenuit.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٨٠; Gayangos, Hist. of the Moh. Dyn. in Spain, Tom. I, p. 62 et 341; Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. II, p. 44; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 164.

XL. Abu isa ben labbun.

Ḍû -lwiſâratain Abû ᶜîsâ ben labbûn, circa annum 493 mortuus, praefecturam Sagunti (Murviedro) obtinuit.

De eo cf. Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. II, p. 44; Dozy, Recherches sur l'hist. et la litt. de l'Espagne, second. edit. Tom. II, p. 49, 126 et al. loc.; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 188.

XLI. Ibn alqazira.

Ḍû -lwiſâratain Ibn alqazîrà ališbîlî (Abû bakr muhammad ben sulaimân), anno 508 mortuus, Jûsuf ben tašfîn, Almoravidae illustrissimi, ab epistolis fuit.

De eo cf. Gayangos, Hist. of the Moh. Dyn. in Spain, Tom. II, p. 282 et 509; Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. I, p. 104, Tom. II, p. 147; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 131.

XLII. Ibn aldabbag.

Abû -lmuтarrif ben aldabbâġ, ex urbe Caesaraugusta (Saragossa) oriundus, Wezirus et ab epistolis fuit Abbadidae Almuᶜtamid ᶜalâ -llah supra commemorati.

De eo cf. Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 184.

XLIII. Ibn algadd.

Abû -lqâsim ben algadd, Hispali natus, Wezirus jurisprudentiae et epistolarum componendarum peritus fuit.

De eo cf. Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 127.

XLIV. Almusrif.

Ḍû -lwiſâratain Almušrif (Abû bakr muhammad ben ahmad ben rahîm) Weziratum Almoravidae Jûsuf ben tašfîn obtinuit.

De eo cf. Hammer [1]), Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 201.

---

[1]) Qui pro Almušrif legit El-Moscherrik.

XLV. Abu muhammad ben alqasim.

Abû muhammad ben alqâsim Wezirus fuit epistolarum componendarum gnarus.

De eo cf. Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 130.

XLVI. Abu muhammad ben sufjan.

Abû muhammad ben sufjân Weziratum regum Toleti ad dynastiam Ḍû -lnûn pertinentium obtinuit.

De eo cf. Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 196.

XLVII. Abu -lhasan ben alhag.

Ḍû -lwiſâratain Abû -lhasan ben alhâg poeta fuit, qui praeter alia amatoria quoque carmina (الغزل) composuit.

De eo cf. Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 731.

XLVIII. Ibn abdun.

Abû muhammad ben ʿabdûn Wezirus fuit Almutawakkili, principis urbis Badajoz supra (nr. XXXV) commemorati. Auctor est Qazidae historicae, quam cel. Weijers typis edidit [1]).

De eo cf. Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. II, p. 66; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VII, p. 729; Hoogvliet, Proleg. ad edit. celebratissimi Ibn Abduni poematis.

---

[1]) قصيدة ابن عبدون مع شرحها لابن بدرون. Ibn Abduni poëmation, arab. ex quatuor codd. mss. bibl. Lugd. Bat. cum versione latina et annotationibus edidit H. E. Weyers. Lugd. Bat. 1838.

XLIX. Banu -lqubturnuh.

Banû -lqubturnuh (Abû muhammad ben alqubturnuh, Abû bakr ben alqubturnuh, Abû -lhasan ben alqubturnuh) Weziri et a secretis fuerunt regum dynastiae Banû -lafras, qui in urbe Badajoz dominati sunt.

De iis cf. Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 186.

L. Ibn algubajjir.

Abû muhammad ben algubajjir Wezirus fuit et carminibus et epistolis excellens.

De eo cf. Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 135.

LI. Abu bakr ben abd alasis.

Abû bakr ben ᶜabd alᶜafîf Wezirus fuit in carminibus epistolisque componendis satis versatus.

De eo cf. Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 555.

LII. Abu gafar ben ahmad.

Abû gaᶜfar ben ahmad Wezirus fuit epistolarum conscribendarum haud minus quam proxime nominati peritus.

De eo cf. Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 556.

LIII. Ibn abi -lchizal.

Ḍû -lwifâratain Abû ᶜabdallah muhammad ben abî -lchizâl, anno 540 mortuus, ab epistolis et Wezirus regis cujusdam Almoravidae fuit, eloquentia magnaque eruditione insignis.

De eo cf. Gayangos, Hist. of the Moh. Dyn. in Spain, Tom. I, p. 340; Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. II, p. 163 et 335; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 200 et 1112.

LIV. Ibn alsaqqat.

Abû -lqâsim ben alsaqqâт Wezirus fuit epistolis et carminibus celeber.

De eo cf. Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 128.

LV. Abu abdallah ibn alchizal.

Vid. quae de hoc nomine monui in dissertatione De codice manuscripto &c. p. 37, ann. I.

LVI. Abu amir ibn abi -lazba.

Hic Wezirus mihi non est notus.

LVII. Saif aldaula.

Saif aldaulà (Abû -lhasan ᶜalî ben abî -lhaigâ ᶜabdallah), illustris Syriae princeps ad familiam Banû hamdân pertinens, quum virtute bellica ornatus fuit, tum maxime amore carminum litterarumque insignis. In aulam hujus principis convenerant poetae nobilissimi Almutanabbî († 354, cf. de eo supra p. 15), Alwâwâ aldimaśqî (cf. de eo supra nr. XI), ambo Alchâlidî (cf. de iis supra nr. XXV), Alnâmî († 399, cf. de eo infra nr. C), Albabaġâ († 398, cf. de eo Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٣٠١), Alsarî alrafâ († 364, cf. de eo Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٣٥٩), alii, qui omnes laudem ejus canebant praemiaque largissima

obtinebant. Ipse quoque Saif aldaulà poeta ingeniosus fuit. Mortuus est Halebi anno 356.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ۴۹۴; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 334; Abulf. Ann. mosl. (Reiske), p. 284; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 43 et 728; Dieterici, Mutanebbi und Seifuddaula &c.; Freytag, Selecta ex historia Halebi.

LVIII. Jaqut alhamawi.

Šihâb aldîn abû ᶜabdallah jâqût ben ᶜabdallah, vulgo Jâqût alḫamawî vel Jâqût alrûmî alḫamawî (etiam Albaġdâdî) appellatus, geographus et philologus est magna inter Arabes fama auctoritateque gaudens. Inter opera, quae reliquit, prae caeteris commemoranda sunt: ارشاد الالباء الى معرفة الادباء [1] (Disciplina qua de philologis instituantur cordati), quo in opere de grammaticis, lexicologis, lectoribus Qurâni, historicis, genealogis, scribis et de omnibus, qui libros ad philologiam spectantes scripserunt, notitiae proferuntur (cf. Hâgî Ch. nr. 472); معجم البلدان (Lexicon geographicum, quod nomina terrarum signis diacriticis et vocalibus instructa exhibet, cf. Hâgî Ch. nr. 12369 et Mehren, MSS. orient. Bibl. Havniensis, Pars II, p. 75); المشترك وضعا والمختلف صقعا فى البلدان (Lexicon geographicum, quod terras nomine convenientes, plaga differentes complectitur [2]), cf. Hâgî Ch. nr. 12066);

---

[1]) Hâgî Ch. etiam de opere a Jâqût alḫamawî composito, quod تحفة الالباء (Donum cordatis oblatum, cf. nr. 2547) inscribatur, mentionem facit. Sed recte, ut videtur, de eo: "fortasse", inquit, "est idem opus ac ارشاد الالباء."

[2]) Editum est a cel. Wüstenfeld sub titulo Jacuts Moschtarik, d. i. Lexicon geographischer Homonyme (Gottingae 1846).

معجم الادباء (Lexicon philologos complectens, cf. Hâgî Ch. nr. 12367); معجم الشعراء (Lexicon poetas complectens, cf. Hâgî Ch. nr. 12374); كتاب الدول (Liber dynastiarum, cf. Hâgî Ch. nr. 10118); المبدأ والمآل (Initium et finis), opus historicum (cf. Hâgî Ch. nr. 11315); المقتضب فى النسب (Scriptum ex tempore factum de genealogia, cf. Hâgî Ch. nr. 12740). — Jâqût alḥamawî non est confundendus cum Abû -ldurr jâqût ben ᶜahdallah alrûmî, poeta Muhaḍḍib aldîn cognominato († 622, de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٧٩٩), nec cum aliis viris illustribus, quibus nomen est Jâqût, ut Abû -ldurr jâqût ben ᶜabdallah almauzilî, scriba Amîn aldîn cognominato († 618, de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٧٩٨). Noster Jâqût anno 626 prope Haleb obiit.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٨٠٠; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VII, p. 472; Reinaud, Géographie d'Aboulf. Tom. I, p. 129; Frähn, Ibn Fozlans u. anderer Arab. Berichte ü. die Russ. p. XXXVIII.

LIX. Ibn duraid.

Abû bakr muḥammad ben alḥasan ben duraid alaſadî albazrî, vulgo Ibn duraid appellatus, vir fuit et carminibus et doctrina valde eminens. Dicunt eum poetam virorum doctorum praestantissimum, poetarum doctissimum fuisse [1]). Inter carmina ejus maxima gaudet celebritate Qazida المقصورة, quae ad duo Persidis principes, Ibn mîkâl (ᶜAbdallah ben muḥammad ben mîkâl) et filium ejus Abû -lᶜabbâs ismaᶜîl ben ᶜabdallah, laudibus efferendos composita est. Ea enim plures Arabum poetae

---

[1]) Cf. Hâgî Ch. Tom. VI, p. 93; cf. etiam Ibn Chall.

in Qazidis condendis usi sunt exemplo. In ea etiam commentanda plures Arabum scriptores studium et operam posuerunt, ut Grammaticus Ḣusain ben ᶜabdallah, vulgo Ibn Châlawaih appellatus, anno 370 mortuus, et Jurisconsultus Abû ᶜabdallah muḣammad ben aḣmad alsabtî allachmî, vulgo Ibn hiṡâm appellatus, circa annum 570 mortuus, cujus commentarius الفوائد المحصورة فى شرح المقصورة inscriptus omnium praestantissimus est et amplissimus. In Europa haec Qazida a viris doctissimis Haitsma[1]), Scheidio[2]), Boisen[3]) edita et latine reddita est[4]). Nominatur المقصورة, quia versus ejus in Alif breve (الالف المقصورة) exeunt; etiam الدريدية (Qazida duraidica) appellatur. Praeter eam Ibn duraid reliquit libros, qui ad lexicologiam, etymologiam, philologiam et ad alias quoque disciplinas pertinent. Quibus ex libris sunt الجمهرة فى اللغة (Corpus lexicologicum), opus magni aestimatum, quod Alzâḣib ibn ᶜabbâd (de quo cf. supra nr. XV) et Ṡaraf aldîn muḣammad ben nazr ben ᶜunain, poeta anno

---

[1]) Poëmation Ibn Doreidi cum scholiis arabicis excerptis Chaluwiae et Lachumaei e codicibus manuscriptis, latine conversum et observationibus miscellaneis illustratum &c. curavit et edidit Aggaeus Haitsma. Franequerae 1773.

[2]) Abu Becri Mohammedis Ebn Hoseini Ebn Doreidi Azdiensis Katsijdaᵓl mektsoura sive idyllium arabicum latine redditum et brevissimis scholiis illustratum &c. edidit Everardus Scheidius. Harderovici Gelrorum 1786. — Anno 1768 Scheidius textum solum edidit (cf. Zenker, Bibl. orient. Tom. I, nr. 441).

[3]) Carmen Maksura dictum Abi Becri Muhammedis Ibn Hoseini Ibn Doreidi Azdiensis cum scholiis integris &c. edidit L. N. Boisen. Havniae 1828.

[4]) Exstat etiam versio ejus hollandica sub titulo Treurzang von Ibn Doreid, in Neêrduitsche dichtmaat overgebragt van Bilderdijk. Hage 1798, ed. 2. 1808 (cf. Zenker, l. c. nr. 443).

anno 630 mortuus (de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٩٤٥), postea in epitomen redegerunt (cf. Hâgî Ch. nr. 4202 et Dozy, Catal. MSS. orient. Bibl. Lugduno Batavae, Tom. I, p. 64); كتاب الاشتقاق (Liber etymologiae), Lexicon genealogiarum Arabum etymologicum, quod typis edidit cel. Wüstenfeld[1]) (cf. Hâgî Ch. Tom. V, p. 43, Mehren, MSS. orient. Bibl. Havniensis, Pars II, p. 105 et Dozy, Catal. Tom. II, p. 143); كتاب المجتنى (Liber selecta continens), in quo leguntur varia genera historiarum bene compositarum, verborum gravitatis plenorum, poematum splendidorum, sententiarum admirabilium, apophtegmatum sapientia plenorum et traditionum probalilium (cf. Hâgî Ch. nr. 10466); كتاب السرج واللجام (Liber ephippii et hahenae, cf. Hâgî Ch. nr. 10179 et Dozy, Catal. Tom. I, p. 210); كتاب السلاح (Liber de armis, cf. Hâgî Ch. nr. 10186); كتاب غريب القران (Liber de vocibus inusitatis Qurâni, cf. Hâgî Ch. nr. 8618); ادب الكاتب (cf. Hâgî Ch. nr. 339) et alii. — Ibn duraid anno 223 Bazrae natus, vitae partem in Perside degit gratiâ principum supra commemoratorum, Ibn mîkâl filiique ejus, florens. Anno 321 Bagdadi diem obiit.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٤٨; Abulf. Ann. mosl. (Reiske), p. 251; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. IV, p. 385 et 684. De Qazida ejus cf. Hâgî Ch. nr. 12807; Prolegomena ad edit. Boisenianam; Mehren, MSS. orient. Bibl. Havniensis, Pars II, p. 146; Dozy, Catal. MSS. orient. Bibl. Lugduno Batavae, Tom. II, p. 47 seq.

LX. Ibn alatir algasari.

Ibn alaṭîr algaſarî (Abû -lfatḥ nazr allah ben abî -lkaram ben muḥammad ben ʿabd alkarîm ben ʿabd alwâḥid

---

[1]) Ibn Doreid's genealogisch-etymologisches Handbuch, herausgeg. von F. Wüstenfeld. Göttingen 1853.

alšaibânî), Żijâ aldîn cognominatus cum Ibn alaṭîr algaſarî (Abû -lḥasan ᶜalî ben abî -lkaram), ᶜIſſ aldîn cognominato, auctore Historiae الكامل celeberrimo († 630, cf. de eo Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ۴۷۱) et Ibn alaṭîr algaſarî (Abû -lsaᶜâdât almubârak ben abî -lkaram), Magd aldîn cognominato, rei traditionariae epistolarumque componendarum perito († 606, cf. de eo Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ۵۹۴), qui fratres ejus fuerunt, non confundendus est. Żijâ aldîn ibn alaṭîr in arte scribarum versatus et cognitione poetarum tum veterum tum recentiorum insignis fuit. Composuit المثل السائر فى آداب الكاتب والشاعر (Sententia vulgata de rebus, quarum scientia scriba et poeta instructi esse debent, cf. Hâgî Ch. nr. 11364 et Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. I, p. 50); الوشى المرقوم فى حل المنظوم (Virgatus pannus pictus de explicatione orationis ligatae), opus in tres sectiones dispositum, quarum prima de explicatione carminum, secunda de explicatione versuum Qurâni, tertia de explicatione traditionum ad prophetam pertinentium agit (cf. Hâgî Ch. nr. 14249); المعانى المخترعة فى صناعة الانشاء (Sententiae novae de arte scribarum publicorum). Praeterea epistolas edidit et carmina poetarum Abû Tammâm, Albuḥturî, Dîk alginn (de quo cf. infra nr. LXXX) et Almutanabbî electa. — Natus fuit in oppido ad Tigridem sito Ġaſîrà ibn ᶜumar (unde appellatur Algaſarî) anno 558; mortuus est Bagdadi anno 637.

De Żijâ aldîn ibn alaṭîr algaſarî cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ۷۷۳; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VII, p. 664.

LXI. Makki ben rajjan almakisini.

Abû -lḥaram (vel Abû -lḥaſm) makkî ben rajjân almâkisînî almauzilî, Zâin aldîn cognominatus,

vir fuit in philologia et doctrinis Qurâni versatus. Natus in Mâkisîn, oppidulo haud procul ab Euphrate sito, relicto loco natali, aliquamdiu in urbe Mosul degit, Qurâno legendo studiisque philologicis occupatus. Deinde migravit Bagdadum, ubi consuetudine virorum doctissimorum usus est. Reversus tandem Mosulum doctrinam suam incolis urbis utilem reddidit. Mortuus est anno 603 [1]).

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٧٤٨; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VII, p. 791.

LXII. `Ibn alallaf.

Abû bakr alhasan ᶜalî ben ahmad ben baṡṡâr ben ʃijâd, vulgo Ibn alᶜallâf appellatus, poeta haud ignobilis est, qui cum Almuᶜtażid billah, Chalifa Abbasidarum decimo sexto († 289), familiariter vixit. Composuit praeter alia carmen in felem occisam, de quo Abulfeda in historia sua his utitur verbis: "Carmen illud longum est et fama celebratum, varieque disputatur, quae condenti caussa et occasio designatioque fuerit. Sunt, qui poetam reapse cattum habuisse velint, cujus in triste fatum his elegis luserit. Alii eum sub felis persona occultatum lugere tendunt, quem al Moctaderi metu nominare non andebat, al Motazzi filium, illum, qui gesto in er Radhii titulo unius diei Chalifatu misera morte, quod supra narravimus, periit.

---

[1]) Ex Historia Arbelae, ab Ibn almustaufî composita, Ibn Chall. haec de eo profert verba: هو جامع فنون الادب وحجة كلام العرب والمجمع على دينه وعقله والمتفق على علمه وفضله رحل الى بغداد ولقى بها مشائخ النحو واللغة والحديث وكان واسع الرواية وقد نصب نفسه للانتفاع عليه بالقران الكريم وجمع ضروب الادب.

Placet tandem aliis, puellam quandam e gynaeconitide Alii, filii Isa, al Waziri, in juvenem aliquem de familia hujus nostri poetae, Ibn el Allafii, exarsisse; de quo clandestino amborum commercio quum suboluisset al Waziro, eum ambos in flagitio deprehensos confodisse. In hunc sui mancipii casum hos elegos herum composuisse, felis persona abutentem." — Ibn al^callâf anno 318 (sec. alios 319) centum annos natus mortuus est.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ١٧١; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 398; Abulf. Ann. mosl. (Reiske), p. 246.

LXIII. Ibn sukkara alhasimi.

De poeta Abû -lhasan muhammad ben ^cabdallah, Ibn sukkarà cognominato, vid. supra nr. XII.

LXIV. Alsahi.

Abû -lqâsim ^calî ben ishaq ben chalaf, vulgo nomine Alſâhî notus, poeta Bagdado oriundus, carmina in laudem Saif aldaulae, Weziri Almuhallabî (de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ١٧٧), familiae prophetae Muhammad aliorumque virorum illustrium composuit. Alſâhî anno 318 natus, obiit Bagdadi anno 352.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٢٧٨; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 309; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 711.

LXV. Ala aldin alqairawani.

Hic poeta mihi non est aliunde notus.

LXVI. Abu -lala almaarri.

Abû -lʿalâ aḥmad ben ʿabdallah ben sulaimân almaʿarrî, a gente Tanuch oriundus, inter celeberrimos Arabum scriptores numerandus est. Fuit enim poeseos laude, cognitione linguae atque eruditione magna omnium fere quinti seculi virorum illustrium eminentissimus. Permulta conscripsit opera, quorum celebratissimum سقط الزند (Primae scintillae igniario excusae) inscribitur, quia primos ingenii foetus seu carmina in prima adolescentia concepta continet [1]). In hanc carminum collectionem poeta ipse commentarium composuit, ضوء السقط (Lux scintillarum vel illustrationes operis سقط الزند) inscriptum, qui viginti fasciculos (كراسة) complectitur (cf. Dozy, Catal. MSS. orient. Bibl. Lugduno Batavae, Tom. II, p. 54, nr. DLVI). In eandem alii quoque commentarios scripserunt, ut Abû ſakarijâ jaḥjâ altabrîſî († 502), praeclarus ille Abû -lʿalae discipulus, qui septem Muallaqas, Hamâsam Abû Tammâmi et Diwanum Almutanabbîi etiam commentatus est (de eo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٨١٠; de commentario ab eo in سقط الزند composito cf. Mehren, MSS. orient. Bibl. Havniensis, Pars II, p. 149 et Dozy, Catal. Tom. II, p. 55, nr. DLVII), Abû muḥammad ʿabdallah albaṛaljausî († 521, de eo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٣٥٤; de commentario ejus cf. Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. I, p. 64), Abû -lfażl qâsim ben alḥusain alchuwâraſmî, Zadr alafâżil cognominatus († 617, de commentario ejus cf. Dozy, Catal. Tom. II, p. 55, nr. DLVIII). E numero caeterorum

---

[1]) Carmina ex hoc opere excerpta ediderunt cel. Vullers, qui editioni Muallaqae Hâriṭi duo annexuit, cel. Rieu, qui commentationem De Abul-Alae poetae arabici vita et carminibus scripsit et cel. Sacy.

Abû -l-alae operum sunt: (1) لزوم ما لا يلزم, opus e quinque partibus constans, quod poemata argumenti philosophici continet (cf. Hâgî Ch. Tom. V, p. 309 et Dozy, Catal. Tom. II, p. 55, nr. DLIX); راحة اللزوم, commentarius operis praecedentis (cf. Hâgî Ch. l. c.); كتاب الايك والغصون (Liber arborum perplexarum et ramorum), opus philologicum, quod prope centum partes complectens vulgo titulo الهمزة والردف (2) notum est (cf. Hâgî Ch. Tom. V, p. 57); جامع الاوزان الخمسة, opus quinque mensuras metricas ab Alchalîl ben ahmad (de eo cf. supra p. 7, ann.) commemoratas exhibens (cf. Hâgî Ch. Tom. II, nr. 3878); زجر النائح (Clamor plangentis), opus ad syntaxin spectans, quod in quadraginta fasciculos (كراسة) distributum est (cf. Hâgî Ch. Tom. III, p. 540). Edidit praeterea epitomen Diwani Almutanabbîi enarratam, quam inscripsit معجز احمد (Miraculum Ahmadi 3), cf. Ibn Chall.). Eodem modo Diwanum Albuhturîi (de quo cf. supra nr. X) in epitomen عبث الوليد (Lusus infantis 4), cf. Hâgî Ch. Tom. III, p. 266) et Diwanum Abû Tammâmi in epitomen ذكرى حبيب (Re-

---

1) Verba لزوم ما لا يلزم, quae quod sibi aliquis rem haud necessario observandam imponit tamquam legem significant, in arte rhetorica de versibus adhibentur, in quibus homoeoteleuton duplex occurrit (cf. Freytag, Darst. der arab. Versk. p. 535; Mehren, Rhetorik, p. 171). Opus, de quo hic agitur, ex ejusmodi versibus compositum est.

2) De illa inscriptione cel. Slane in Ibn Khall. Biogr. Dict. (Tom. I, p. 98, ann. 4) haec monet: "This title induces me to think that at least a portion of the work was in verse, having for rhyme a hamza with a letter of prolongation, which, in that case, is called the ridf by Arabic prosodians."

3) Poetae Almutanabbî nomen fuit Ahmad. — Auctore Hâgî Ch. (cf. Tom. III, p. 307) hic commentarius inscriptionem habet لامع العزيزى.

4) Vel Lusus Alwalîdi; Alwalîd enim nomen fuit poetae Albuhturî.

cordatio amici [1]), cf. Hâgi Ch. Tom. III, p. 254) coegit atque enarravit. Etiam epistolas edidit, partim longas, "quae libris compositis similes sunt", partim breviores, partim plane breves, "quales eae sunt, quae more usitato in epistolarum commercio scribuntur" (cf. Hâgî Ch. Tom. III, p. 459, cf. etiam Dozy, Catal. Tom. I, p. 148). — Abû -lᶜalâ anno 363 in oppidulo Syriae Maᶜarrà alnuᶜmân (unde cognomen Almaᶜarrî) in lucem editus fuit. Quatuor annos natus variolis affectus lumen oculorum amisit et per omnem vitam coecus mansit. Supremum obiit diem anno 449 [2]).

De Abû -lᶜalâ almaᶜarrî cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٢٩; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 94; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 900 seq. ubi multa carmina e libris سقط الزند et لزوم ما لا يلزم ex-

---

[1]) Vel Recordatio Ḥabîbi, quod nomen fuit Abû Tammâmi.

[2]) Apud cel. Hammer (Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 903) praeter alia haec de eo leguntur: "Ebúl-ᶜOlá's Gedichte zeichnen sich vor allen anderen moslimischen durch einen freien philosophischen Geist aus, welcher den Islam des Dichters mit Recht in üblen Ruf brachte; er ward als Sabäer und sogar als Christ verschrien, er aber behauptete, dass dem äusseren Unglauben seiner Gedichte tiefer innerer Sinn innewohne." Deinde aliquot horum carminum versus ex Abulfeda proferuntur germanice redditi. Quos, quum poetae ingenium aperiant licentiamque, qua in rebus sacris judicandis uteretur, potissimum prodant, hoc quoque loco afferre lubet:

"Mich wundert sehr der alten Perser Brauch,
Die waschen das Gesicht mit dem Urin der Kühe,
Der Christen Lehre nimmt mich Wunder auch,
Dass Gott der Herr sich an dem Kreuz' abmühe;
Nicht minder wundert mich der Juden Lehr',
Jehova liebe Opferduft, den süssen,
Und And're kommen gar von ferne her,
Um Stein' zu werfen und den Stein zu küssen;
Wie wunderseltsam diese Lehren sind,
Den alle sind sie für die Wahrheit blind."

cerpta germanice reddita sunt; Sacy, Crest. arab., edit. secund. Tom. III, p. 89 et ٩٠, ubi aliquot ejus carmina leguntur. De libro سقط الزند cf. Hâgî Ch. nr. 7187.

LXVII. Abu -laina.

Abû ᶜabdallah muhammad ben alqâsim, cognomine Abû -lᶜainâ notus, poeta et philologus, qui temporibus Almutawakkil Chalifae († 247) Bazrae vixit. Caruit quidem a quadragesimo inde aetatis anno oculorum usu, sed fuit, ut verbis Abulfedae utamur, "festivi tamen ingenii homo, salium plenus, memoria lepidis dictis, historiolis, fragmentulis poetarum referta, respondendi tam promtus, idque tam apposite, tam ingeniose, ut qui paria ei ea in re fecerit, nemo sit repertus." Philologiam a viris de hac disciplina meritissimis Abû ᶜubaidà (de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٧٤١), Alazmaᶜî (de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٣٨٩), Alᶜutbî (de quo cf. supra nr. XX), aliis didicit. Anno 190 in oppido regionis Chuſistân, Ahwâſ appellato, natus, mortuus est Bazrae anno 282 vel 283.

De Abû -lᶜainâ cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٥٤; Abulf. Ann. mosl. (Reiske), p. 221; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. IV, p. 490. In Hamasa (Rückert. II, p. 50) carmen ab eo conditum invenitur.

LXVIII. Ibn alhaggag.

Abû ᶜabdallah alhusain Ibn alhaggâg, illustris ille poeta Bagdadensis, cujus jam supra in loco de Ibn sukkara (cf. nr. XII) memini. Notus est propter carmina jocosa et lasciva, quorum composuit Diwanum ex decem voluminibus constantem. Potiora inde electa, secundum homoeoteleuta in ordinem digesta atque in centum

quadraginta unum capita disposita edidit poeta Albadîᶜ alizʇarlâbî (Abû -lqâsim hibà allah ben alhusain, † 534, cf. de eo Ibn Chall. [1]) ed. Wüst. nr. ٧٧٩), qui hanc collectionem درّة التاج من شعر ابن الحجاج (Margarita coronae e carminibus Ibn alhaggâgi capta, cf. Hâgî Ch. Tom. III, p. 201 et 261) inscripsit. Aliam anthologiam ex Diwano Ibn alhaggâgi excerptam, cui titulus est تلطيف المزاج (Blandimentum temperamenti, cf. Hâgî Ch. Tom. II, p. 415 et Mehren, MSS. orient. Bibl. Havniensis, Pars II, p. 148) edidit Ibn nubâtà almizrî († 768, de quo cf. infra nr. LXXVII). Teste Ibn Challikâno Ibn alhaggâg etiam carmina condidit argumenti serii ac modesti. Mortuus est Bagdadi anno 391.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ١٩١; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 448; Abulf. Ann. mosl. (Reiske), p. 318; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 569, 658 et 915. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5174.

LXIX. Zafi aldin alhilli.

ᶜAbd alᶜafîf ben sarâjâ ben ᶜalî, vulgo Zafî aldîn alhillî vel Alzafî alhillî appellatus, inter scriptores, qui de arte rhetorica disseruerunt, locum obtinet satis eminentem. Composuit Qazidam in hoc argumento versantem, quae البديعية vel الكافية البديعية (Qazida artem ornate dicendi sufficienter docens) inscripta est. Arti rhetoricae primus inter Arabes Ibn almuᶜtaff († 296, de quo cf. Ibn Chall. ed Wüst. nr. ٣٤٨) operam navavit. Deinde Qudâmà

---

[1]) Verba Ibn Challikâni haec sunt: واختار ديوان ابن الحجاج ورتبه على ماية واحد واربعين بابا وجعل كل باب فى فن من فنون شعره وقفاه وسماه درّة التاج من شعر ابن الحجاج.

ben gaᶜfar (de quo cf. supra nr. XIV), Ibn rašîq alqairawànî († 463, de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ١٩٤), Alsakkâkî (Jûsuf ben abî muhammad ben ᶜalî, † 626) et alii libros huc spectantes scripserunt[1]). Quod ad Zafî aldîn alhillî attinet, hic poeta eloquens, praeter quae alii recensuerunt, haud pauca ornatae dictionis genera nova in Qazida sua البديعية profert. Ipse commentarium النتائج الالهية[2] (Conclusiones metaphysicae) inscriptum in hanc Qazidam composuit. Praeterea Diwanum edidit in duodecim capita divisum (de quo cf. Hâgî Ch. nr. 5516, Mehren, MSS. orient. Bibl. Havniensis, Pars II, p. 155 et Moeller, Catal. Bibl. Goth. II, p. 238) et aliam quoque carminum collectionem, quae titulo درر البحور فى مدائح الملك المنصور (Margaritae marium de laudabilibus Almalik almanzûri factis, cf. Hâgî Ch. nr. 4988) insignita est[3]). Zafî aldîn alhillî anno 750 obiit.

De eo cf. Herbelot, Bibliotheque orientale (La Haye 1777—1779), Tom. III, p. 153 sub voc. Safi Al Holli. De Qazida الكافية البديعية cf. Hâgî Ch. nr. 1736 et 9702; Dozy, Catal. MSS. orient. Bibl. Lugduno Batavae, Tom. I, p. 138.

LXX. Altilimsani.

Šams aldîn abû ᶜabdallah muhammad ben alᶜafîf (vel ben ᶜafîf aldîn sulaimân) altilimsânî auc-

---

[1]) Cf. Mehren, Die Rhetorik der Araber, p. 5 seq.

[2]) Cf. Hâgî Ch. Tom. V, p. 5. Alio loco (Tom. VI, p. 295) Hâgî Ch. hunc commentarium النتائج الالمعية inscriptum esse testatur. Fateor me nescire, utrum rectius sit.

[3]) Unum hujus poetae carmen a cel. Bernstein anno 1816 Lipsiae editum est (cf. Zenker, Bibl. orient. Tom. I, nr. 473).

tor est collectionis scriptorum elegantiorum, quae مقامات العشاق (Consessus amantium) inscribitur. Mortuus est sec. الترجمات anno 655, sec. Hâgî Ch. anno 688.

De eo et de Maqâmis ejus cf. Mehren, MSS. orient. Bibl. Havniensis, Pars II, p. 132; Hâgî Ch. Tom. VI, p. 56.

LXXI. Usama ben mursid.

Abû -lmuṛaffar usâmà ben murṡid alkinânî alkalbî alṡaiſarî, Muajjad aldaulà (etiam Magd aldîn) cognominatus et nobili familia Munqid, quae castellum Ṡaiſar tenebat, oriundus, vir est eloquentiae ac carminum laude satis conspicuus. Composuit de arte ornate dicendi librum, qui titulo كتاب البديع vel بديع ابن منقذ vulgo notus est. Etiam Diwanum carminum ex duabus partibus constantem edidit. Praterea Hâgî Chalîfa duo alia ejus opera commemorat, ازهار الانهار (Flores fluminum, cf. nr. 544) et كتاب الاعتبار (Liber ratiocinationis, cf. nr. 9858). Usâmà ben murṡid, etiam Usâmà ben munqid appellatus, obiit Damasci anno 584.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٨٣; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 177; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, nr. 6560, Tom. VII, p. 953 et 1177. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5285. De كتاب البديع cf. Hâgî Ch. nr. 1744 et 9936; Dozy, Catal. MSS. orient. Bibl. Lugduno Batavae, Tom. I, p. 123 [1]).

---

[1]) Est enim opus rhetoricum, quod sub titulo مختصر مقدمة الشعر ibi occurrit, idem ac كتاب البديع ab Hâgî Ch. commemoratum, id quod ex verbis, quibus teste cel. Dozy incipit illud, cum primis hujus operis verbis, ut apud Hâgî Ch. leguntur, comparatis facile apparet.

LXXII. Husam aldîn alhagiri.

Ḣusâm aldîn abû jaḥjâ (vel abû -lfażl) ʿîsâ ben singar, vulgo Alḥâgirî appellatus, miles ex oppido Arbela ortus, artem poeticam bene exercuit. Reliquit Diwanum, cujus carmina, maximam partem mollia et sententiis egregiis plena, aut simplicia sunt, aut quae الذوبيت nuncupantur, aut quae المواليا [1]). "In omnibus his generibus", dicit Ibn Challikân, "optime versatus fuit, id quod rarum inventu est, quum qui in uno genere excellunt in caeteris minus versati esse soleant" [2]). Ḣusâm aldîn eam ob caussam Alḥâgirî appellatur, quod in carminibus suis de Ḣâgir, oppidulo vel vico in regione Ḣigâf sito, saepissime mentionem facit. Quinquaginta annos natus mortuus est anno 632.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٥٣٩; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 434; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VII, p. 1071. De Diwano ejus cf. Hâgî-Ch. nr. 5367 et 5589.

LXXIII. Ibn munir altarabulusi.

Abû -lḥasan (vel Abû -lḥusain) aḥmad ben munîr ben aḥmad ben mufliḥ, vulgo Ibn munîr appellatus, scriptor satyrarum multarum, mordacis linguae homo Schiitarum sectae deditus [3]), inter praeclarissimos suae aeta-

---

[1]) De hoc carminum genere cf. Freytag, Darst. der Arab. Versk. p. 458.

[2]) وقد احسن فى الكل مع انه قل من يجيد فى مجموع هذه الثلاثة بل من غلب عليه واحد منها قصر فى الباقى.

[3]) In وفيات الاعيان de eo leguntur verba: كان رافضيا كثير الهجاء خبيث اللسان.

tis poetas habetur. Satyris perstrinxit praeter alios Ibn alqaisarâni, illustrem poetam infra (nr. LXXV) commemorandum, quocum controversiam habuit et concertationem. Natus fuit in urbe Syriae Tripoli (unde Alṭarâbulusî appellatur) anno 473; mortuus est anno 548.

De Ibn munîr cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٣; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 138; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VII, p. 942 et 1173. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5217.

LXXIV. Badr aldîn albulqaini.

Scheich Badr aldîn muḥammad ben ṡaich alislâm sirâg aldîn alwarrâq ben arslân ben nazîr albulqainî, jurisconsultus ex Aegypto oriundus, qui sectam vel systema Imâmi Alṡâfiʿî secutus est, obiit anno 791. Hic vir commemoratur etiam in libro درة الاسلاك, ab Ibn ḥabîb composito [1]), ex quo cel. Weijers in Orientalis (Tom. II, p. 471) haec de eo exscripsit: القاضى الامام بدر الدين ابو اليُمن محمد بن شيخنا شيخ الاسلام سراج الدين ابى حفص عمر بن الشيخ بهاء الدين ابى محمد رسلان بن نصير بن صالح المصرى الشافعى قاضى قضاة العساكر بالديار المصرية. Est igitur filius jurisperiti praeclarissimi Sirâg aldîn ʿumar albulqainî, anno 805 mortui, qui opera تدريب فى الفروع (Exercitatio de partibus juris specialibus, cf. Hâgî Ch. nr. 2767), ترجمان شعب الايمان (Interpres variarum fidei sectarum, cf. Hâgî Ch. nr. 2899 et 7571) et multa alia, inprimis commentarios praestantes conscripsit.

---

[1]) Attamen non commemoratur ab ipso Ibn ḥabîb, quippe qui jam anno 779 obierit, sed a filio ejus Tâhir, qui opus درة الاسلاك ad finem perduxit (cf. Quatremère, Hist. des Sultans Mamlouks, Tom. I, 2, p. 209).

LXXV. Ibn alqaisarani.

Abû ʿabdallah muhammad ben nazr ben zaǵîr almachſûmî alchâlidî alhalabî, Ṡaraf almaʿâlî (etiam ʿUddà aldîn) cognominatus, vulgo Ibn alqaisarânî appellatus, unus fuit e praestantissimis poetis idemque unus e philologis scientia eminentissimis (كان من الشعراء المجيدين والادباء المتقنين, Ibn Chall.). Versabatur, ut jam supra (nr. LXXIII) commemoravi, cum Ibn almunîr in controversia acri, ex qua, sicut e fonte quodam, haud exiguus satyrarum numerus effluxit. Eodem, quo aemulus ejus, anno diem obiit supremum. Ambo in Syria floruerunt.

De Ibn alqaisarânî, cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٦٨٨; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VII, p. 945 et 1175. De Diwano ejus cf. Hâǵî Ch. nr. 5205.

LXXVI. Ibn alhabbarijja.

Abû jaʿlâ muhammad ben zâlih alhâšimî alʿabbâsî albaǵdâdî, Niṭâm aldîn cognominatus, vulgo Ibn alhabbârijjà appellatus, vestigia Ibn alhaggâǵi, poetae supra (nr. LXVIII) laudati, in condendis satyris carminibusque jocis et licentia plenis persecutus est. Diwanum reliquit tria quatuorve volumina complectentem. Caeterum auctor est nonnullorum operum celebratorum, e quorum numero haec sunt: نتائج الفطنة فى نظم كتاب كليلة ودمنة (Conclusiones intelligentiae de compositione libri كليلة ودمنة); فلك المعانى (Orbis sententiarum), opus in commodum Weziri Abû nazr saʿîd ben almuammal conscriptum, quod ad numerum signorum zodiaci in duodecim capita distributum esse dicitur (cf. Hâǵî Ch. nr. 9195)

et (1 الصادح والباغم (Gallus canens et dorcas balans), opus metro Ragaſ compositum, quod ad exemplum collectionis apologorum notissimae كليلة ودمنة scriptum est (cf. Hâgî Ch. nr. 7702 et Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. I, p. 138 et 162). — Ibn alhabbârijjà Bagdadi educatus, aliquamdiu in urbe Izfahan degit apud Nizâm almulk, Wezirum Sultanorum Salgûqidarum Alp Arslan et Malak Schah illustrissimum († 485), gratiosus. Postrema vita in provinciam Kerman migravit, ubi mortuus est anno 504.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٨٧; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 832. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5227. De opere الصادح والباغم cf. (praeter Hâgî Ch. et Casiri) Wiener Jahrbücher, Fasc. 90, p. 68 et Nicoll, Catal. MSS. orient. Bibl. Bodlej. p. 325.

LXXVII. Ibn nubata almizri.

Ǵamâl aldîn abû ᶜabdallah (vel sec. alios abû bakr) muhammad ben muhammad ibn nubâtà (vel ibn nubbâtà) alfâriqî almizrî inprimis clarus est commentario in elegantem illam epistolam (الرسالة), quam Ibn ſaidûn, vir Cordubae natus, eruditione ac carminibus eminens († 463, cf. de eo Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٥٩, Gayangos, Hist. of the Moh. Dyn. in Spain, Tom. I, p. 341 et Weyers, Spec. crit. exhib. loc. Ibn Khak. de Ibn Zeiduno) nomine Walâdae, virginis regiae Cordubensis, pul-

---

1) الصادح والباغم inter omnia Ibn alhabbârijjae opera maxima gaudet celebritate. In Jahrbücher der Litteratur Vindibonae editis (Fasc. 90, p. 73—123) Hammerus magnam ejus partem versibus germanicis interpretatus est.

chritudine et ingenio poetico ornatae, composuit. Hic commentarius, ex quo excerpta nonnulla addita sunt ipsius epistolae editionibus, quas curaverunt cel. Reiske [1]) et Hirtius [2]), inscriptus est سرح العيون فى شرح رسالة ابن زيدون (Oculorum pastus, commentarius in Ibn ʃaidûni epistolam). Praeter eum apud Hâgî Chalîfam haec opera ab Ibn nubâtà conscripta invenimus: ابراز الاخبار (Divulgatio historiarum, cf. nr. 19); تلطيف المزاج (Blandimentum temperamenti), anthologiam ex Diwano Ibn alliaggâgi excerptam (cf. nr. 3554); زهر المنثور (Flos leucoïi vel flos orationis solutae, cf. nr. 6912); سجع المطوّق (Gemitus palumbis torquati), opus multas biographias aequalium continens (جمع فيه عدّة تراجم من رجال عصره, cf. nr. 7048); سوق الرقيق (Forum mancipiorum), opus carmina ejus amatoria et Qazidas continens (اقتصر فيه على غزليّاته وقصائده, cf. nr. 7288); شعائر البيت (Ceremoniae in visitando templo Mekkano observandae, cf. nr. 7567, cf. etiam quae adnot. Flügel. Tom. VII, p. 771); الفاضل من انشاء الفاضل (Pars praestans ex scriptis Alfâżili (de eo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٣٨٤) elegantibus, cf. nr. 8686); فرائد السلوك فى مصائد الملوك (Gemmae filorum pretiosae de retibus quibus principes capiuntur, cf. nr. 8955); قطر النباتى (Pluvia herbas proferens), opus carmina ejus minora vel locos ex carminibus excerptos continens (اقتصر فيه على مقاطع شعره, cf. nr. 6539); مجمع الفرائد ومنبع الفوائد (cf. nr. 11453); مطلع الفوائد فى الادب (cf. nr. 12263); منتخب الهداية من المدائح النبويّة (cf. nr. 13106); نخلة الانسيّة فى الرحلة

---

[1]) Abi'l Walidi Ibn Zeiduni Risalet seu Epistolium arabice et latine cum notulis (Lipsiae 1755).

[2]) In libro Institutiones arabicae linguae (Jenae 1770).

القدسيّة (cf. nr. 13621). Ibn nubâtà almizrî in urbe Majjâfâriqîn natus (unde appellatur Alfâriqî), obiit Qâhirae anno 768. De alio Ibn nubâtà supra (nr. XXVII) mentio facta est. Tertius ejusdem nominis vir, concionator (خطيب) celeberrimus (de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٣٨٣), mortuus est anno 374.

De Ibn nubâtà almizrî cf. Weijers, Orientalia, Tom. II, p. 419. De commentario ejus in Ibn ʃaidûni epistolam cf. Hâgî Ch. nr. 5932 et 7095 [1]); Mehren, MSS. orient. Bibl. Havniensis, Pars II, p. 135 seq.

LXXVIII. Altugrai.

Abû ismaᶜîl alḫusain ben ᶜalî ben muḥammad ben ᶜabd alzamad, vulgo Alṭuġrâî appellatus [2]), inter omnes Arabum poetas laude eminet. Composuit praeter alia carmina egregia Qazidam لاميّة العجم (Qazida Persarum in Lâm exiens) inscriptam, in qua cum sermonis elegantia et eloquentia sui ipsius conditionem describit atque aevum suum deplorat [3]). Haec Qazida maximam tum in Oriente tum in Europa assecuta est celebritatem. In eam commentarios composuerunt complures Arabes studiis humanitatis dediti, inter quos prae caeteris laudandi sunt Zalâh aldîn chalîl ben aibak alzafadî, anno 764 mor-

---

[1]) Ubi tamen commentario Ibn nubatae inscriptio شرح العيون et سرج العيون errore assignatur.

[2]) Honorifica, quibus ornatur, cognomina sunt Alᶜamîd vel ᶜAmîd aldaulà, Muajjad aldîn, Fachr alkuttâb (Gloria scribarum), Almunši alizfahânî (Scriba publicus Izfahanensis).

[3]) Scripta est ad imitandum antiquissimum poema لامية العرب (Qazida Arabum in Lâm exiens), ab Alšanfarâ compositum, de quo cf. Sacy, Chrest. arab. edit. secund. Tom. II, p. ١٣٤ et 337.

tuus, cujus commentarius غيث الادب الذى انسجم فى شرح لامية العجم (Pluvia studiorum humanitatis, effusa in explicando carmine لامية العجم, cf. Mehren, MSS. orient. Bibl. Havniensis, Pars II, p. 150) inscribitur, et Badr aldîn muhammad ben abî bakr aldamâmînî (الدمامينى), anno 828 mortuus. Itidem in ea edenda et interpretanda viri doctissimi Golius [1]), Pocock [2]), Vattier [3]), Anchersen [4]), Reiske [5]), Frähn [6]) et alii [7]) curam collocarunt et operam. Neque tamen carminibus solum Alṭuġrâî excelluit, sed doctrinae quoque celebritate inclaruit. Versatus fuit in Alchymia, disciplina ab Arabibus valde exculta, cujus primi auctores teste Hâgî Chalîfa (cf. Tom. V, p. 280) fuerunt Chalîd ben jaſîd ben muᶜâwijà ben abî sufjân et discipulus ejus Ǵâbir ben ḥajjân alzûfî. De hac disciplina plurima conscripsit opera, e quorum numero sunt ارشاد للاولاد مختصر فى الاكسير (Institutio in usum filiorum, compendium de lapide philosophorum, cf. Hâgî Ch. nr. 503); تراكيب الانوار فى الكيمياء (Compositio luminum de Alchymia, cf. Hâgî Ch. nr. 2882); جامع الاسرار وتراكيب الانوار فى الاكسير

---

[1]) Proverbia quaedam Alis imperatoris Muslimorum et carmen Tograi, poetae clarissimi &c. cura Jacobi Golii. Lugdun. Batav. 1629.

[2]) Lamiatoʾl Ajam, carmen Tograi, poetae Arabis doctissimi, una cum versione latina et notis praxin illius exhibentis, opera E. Pocockii. Oxoniae 1661.

[3]) L'élégie de Tograi &c. trad. de l'Arabe par Pierre Vattier. Paris 1660.

[4]) Poemâ Tograi, cum versione latina Jacobi Golii hactenus inedita, edid. M. Anchersen. Traj. ad Rhenum 1707.

[5]) Thograis sogenanntes Lamisches Gedicht, aus dem Arab. übersetzt von J. J. Reiske. Friedrichstadt 1756.

[6]) Carmina arabica duo quae Lamica dicuntur, alterum Schanfarii, alterum Tograii, arabice edid. H. A. Frähn. Casan 1814.

[7]) Cf. Zenker, Bibl. orient. Tom. I, p. 53, II, p. 31.

(Collectio arcanorum et compositio luminum de lapide philosophorum, cf. Hâgî Ch. nr. 3865); حقائق الاستشهادات (Veritates testimoniorum), in quo firma argumenta de Alchymia afferre conatur, Ibn Sînâm refutans, qui eam in prolegomenis libri (الشفاء[1] vanam esse contenderat (cf. Hâgî Ch. nr. 4548); ذات الفرائد رسالة فى الكيمياء (Epistola gemmis pretiosis repleta de Alchymia, cf. Hâgî Ch. nr. 5763); الردّ على ابن سينا فى الكيمياء (Refutatio Ibn Sinae de Alchymia, cf. Hâgî Ch. nr. 5908); مفاتيح الرحمة ومصابيح الحكمة فى الكيمياء (Claves misericordiae et lucernae sapientiae de Alchymia, cf. Hâgî Ch. nr. 12510). — Scriptor noster cognomen Alṭuġrâî accepit a munere et peritia scribendi الطغرا seu signum illud implexum crassioreque calamo exaratum, quod diplomatis principum praemitti solet, eorum nomina et titulos exhibens. Primum enim hoc munere apud Sultanos Salgûqidas perfunctus est. Deinde dignitatem Weziri Salguqidae Masʿûd ben muḥammad ben malikschâh obtinuit. Interfectus est sexaginta annos natus circa annum 515.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ١٩٩; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 462; Herbelot, Bibliotheque orientale (La Haye 1777—1779), Tom. III, p. 488 sub voc. Thograi; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 124 et 858; Wüstenfeld, Gesch. der arab. Aerzte u. Naturforscher, p. 87. De carmine لامية العجم cf. Hâgî Ch. nr. 11024.

LXXIX. Scharif almurtaza.

Scharîf Almurtażâ (Abû -lqâsim ʿalî ben alṭâhir ḍî-l-manâqib abî aḥmad alḥusain), نقيب seu caput eorum

---

[1]) الشفاء فى المنطق, de quo cf. Hâgî Ch. nr. 7616.

qui originem trahunt ab ᶜAlî Chalifa, in theologia scholastica (علم الكلام), philologia et carminibus bene versatus fuit. Ei assignantur nonnulla opera ad doctrinam Schiitarum accomodata nec non commentatio (مقالة) de fundamentis religionis seu dogmatis primariis. Inter opera autem, quae conscripsit, ad philologiam pertinentia commemorantur غرر الفرائد ودرر القلائد (Splendores unionum et margaritae monilium, cf. Hâgî Ch. nr. 8593; etiam الدرر والغرر vel درر الغرر inscribitur, cf. Ibn Chall. [1]) et Hâgî Ch. nr. 5002) et نهج البلاغة (Via eloquentiae manifesta), opus dicta ᶜAlî Chalifae continens (cf. Hâgî Ch. nr. 14114). Quod ad hoc opus (نهج البلاغة) attinet, ab aliis tamen tribuitur fratri ejus Scharîf Alrażî, anno 406 mortuo. Dicunt etiam nonnulli, effata ibi allata non esse ᶜAlîo, sed ipsi scriptori libri assignanda. Caeterum Scharîf Almurtażâ Diwanum carminum magnum reliquit. Anno 355 natus, mortuus est Bagdadi anno 436.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ۴۵۴; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 256; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 138, Tom. VI, p. 1013. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5484.

LXXX. Dik alginn.

Abû muhammad ᶜabd alsalâm ben raġbân ben ᶜabd alsalâm, cognomine Dîk alginn insignitus, poeta haud ignobilis, a tribu Kalb oriundus, floruit in Syria

---

[1]) Apud Ibn Chall. de opere الدرر والغرر haec leguntur: وهى مجالس املاها تشتمل على فنون من معانى الادب تكلم فيها على النحو واللغة وغير ذلك وهو كتاب ممتع يدل على فضل كثير وتوسع فى الاطلاع على العلوم.

temporibus Abbasidarum. Natus Emessae anno 161 (sec. الترجمات anno 171), obiit regnante Almutawakkil, Chalifa hujus familiae decimo, anno 235 vel 236.

De Dîk alginn cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٣٩٤; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 133; Abulf. Ann. mosl. (Reiske), p. 196; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. IV, p. 523.

LXXXI. Abu -lqasim altanuchi.

De Qâdî Abû -lqâsim ᶜalî ben muhammad altanûchî, viro magna eruditione insigni, vid. supra nr. XXXII.

LXXXII. Ibn unain.

Ṡaraf aldîn abû -lmahâsin muhammad ben nazr Ibn ᶜunain, ex urbe Kufa oriundus, sed Damasci natus, postremus habetur poetarum Arabum illustrium [1]). Multa et egregia condidit carmina, quorum magna pars in argumento satyrico versatur. Inter haec carmina Qazida longa invenitur, مقراض الاعراض (Forfex casuum) inscripta, qua proceres urbis suae natalis perstrinxit. Diwanum ejus vir quidam Damascenus collegit atque ordine digessit, sed teste Ibn Challikâno hic Diwanus ne decimam quidem partem eorum, quae metrice scripsit, continet. Ibn ᶜunain etiam epitomen edidit libri الجمهرة فى اللغة ab Ibn duraid conscripti (cf. Hâgî Ch. Tom. II, p. 630, cf. etiam supra p. 45). Praeterea opus historicum, تأريخ العزيزى (Historia

---

[1]) In وفيات الاعيان haec leguntur verba: كان خاتمة الشعراء لم يات بعده مثله ولا كان فى اواخر عصره من يقاس به الخ.

Alᶜafîfîi) inscriptum, composuit (cf. Hâgî Ch. nr. 2257). Mortuus est anno 630 (sec. alios anno 633 vel 635).

De Ibn ᶜunain cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٩٥; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VII, p. 973. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5197.

LXXXIII. Abu -lfath albusti.

Abû -lfatḥ ᶜalî ben muḥammad albustî, كاتب seu ab epistolis Sultani Maḥmûd, Gasnawidae illustrissimi, poeta fuit grato paranomasiam adhibendi modo insignis. Praeter alia carmina Qazidam de cognitione et abstinentia (في المعارف والزهد) composuit, quae celebritatem satis magnam consecuta est (cf. de ea Hâgî Ch. nr. 9450, Dozy, Catal. MSS. orient. Bibl. Lugduno Batavae, Tom. II, p. 53, Mehren, MSS. orient. Bibl. Havniensis, Pars II, p. 142). In hanc Qazidam, quam cel. Baillie typis edidit, Ḍû -lnûn ben aḥmad alsarmârî, anno 677 mortuus, et Sajjid ᶜAbdallah, vulgo Nuqṙakâr appellatus, commentarios scripserunt; interpretationem ejus persicam Badr aldîn algâgarmî curavit (cf. Hâgî Ch. Tom. IV, p. 533). — Abû -lfatḥ albustî, ex oppido Bust, in regione Kâbul sito, oriundus, obiit Bucharae anno 400 vel 401.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٤٨١; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 314; Abulf. Ann. mosl. (Reiske), p. 323; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 679 et 999.

LXXXIV. Zurrdurr.

Raîs Abû manzûr ᶜalî ben alḥasan ben ᶜalî ben alfażl, Scriba cognomine Zurrdurr (Crumena unionum) notus, unus fuit e praestantissimis suae aetatis poetis. Te-

ste Ibn Challikâno Diwanus ejus, quamvis parvus volumine sit, tamen carmina venustate grata pulchritudineque praecipua plena continet (على شعره طلاوة رائقة وبهجة فائقة وله ديوان شعر صغير). Plurima inter haec carmina in laudem Chalifae Qâim biamrallah († 467), Weziri Fachr aldaulà ibn gahîr († 483, de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. VII) aliorumque composita sunt. — Zurrdurr poeta circa annum 400 natus, obiit mortem anno 465.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٤٨٥; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 321; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 797. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5263 et 5513; Dozy, Catal. MSS. orient. Bibl. Lugduno Batâvae Tom. II, p. 57.

LXXXV. Albacharsi.

Abû -lhasan ᶜalî ben alhasan ben ᶜalî ben abî-l-rajjib albâcharſî, vir celeberrimus, quum carminibus tum oratione inter aequales eminet [1]). Auctor est operis biographici et anthologici دمية القصر وعصرة اهل العصر (Statua palatii et refugium hominum aequalium) inscripti. Quod opus elegantia et ornamentis rhetoricis illustratum ad continuandum librum Alṭaᶜâlibîi يتيمة الدهر (de quo cf. supra p. 28) compositum est. Atque ipsum continuatur libro ([2] زينة الدهر (Ornamentum temporis, cf. Hâgî Ch. nr. 6981), ab Abû -lmaᶜâlî saᶜd ben ᶜalî alwarrâq alha-

---

[1]) In وفيات الاعيان Ibn Chall. de eo dicit: كان اوحد عصره في فضله وذهنه والسابق الى حيازة القصب في نظمه ونثره; cf. etiam Dissertationem meam De codice manuscripto, p. 48, LXXXV.

[2]) Plenus hujus libri titulus est زينة الدهر وعصرة اهل العصر وذكر الطاف شعر شعراء العصر.

ṭîrî († 568, de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٣٥٨) composito, hic autem libro خريدة القصر وجريدة أهل العصر (Margarita palatii non perforata et ramus palmae aequalium, cf. Hâgî Ch. nr. 4690 et inprimis Dozy, Catal. MSS. orient. Bibl. Lugduno Batavae, Tom. II, p. 208), a Weziro doctissimo ᶜImâd aldîn alizfahânî († 597, de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٧١٥) conscripto. Alia operis دمية القصر appendix est liber (وشاح دمية القصر[1] (Balteus statuae palatii, cf. Hâgî Ch. nr. 14242), auctore Abû -lḥasan ᶜalî ben ſaid (vel ben alḥasan) albaihaqî. — Albâcharſî etiam Diwanum reliquit magnum volumen complectentem, cujus carmina, Ibn Challikâno judice, maximam partem egregia sunt. Interfectus est anno 467 in pago Bâcharſ, qui ad ditionem urbis Nîsâbûr pertinet.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٣٨٩, Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 323; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 595 et 984. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5314. De opere دمية القصر cf. Hâgî Ch. nr. 5136 et Wiener Jahrbücher, Fasc. 88, Anz. Bl. p. 1.

LXXXVI. Ibn mushir almauzuli.

Abû -lḥasan ᶜalî ben abî -lwafâ saᶜd ben abî-lḥasan ᶜalî ben ᶜabd alwâḥid ben ᶜabd alqâhir ben aḥmad ben mushir almauzulî, Muhaḍḍab aldîn cognominatus, vulgo Ibn mushir appellatus, carmina in laudem Chalifarum, Regum Emirorumque composuit. Mortuus est anno 543, secundum ᶜImâd aldîn alizfahânî, auctorem libri خريدة القصر, anno 546.

---

[1]) Titulus plene scriptus hic est: وشاح دمية القصر ولقاح روضة العصر.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ۴۸۸; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 326; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VII, p. 941. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5212.

LXXXVII. Ibn alsaati.

Abû -lhasan ᶜalî ben rustum ben hardûſ, Bahâ aldîn cognominatus, vulgo Ibn alsâᶜâtî appellatus, inter optimos poetarum recentiorum numeratur. Reliquit Diwanum, qui duo volumina complectitur. Praeterea aliam carminum collectionem composuit, quam titulo مقطعات النيل designavit. Mortuus est in urbe Qâhira anno 604.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ۴۸۹; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 328; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VII, p. 906. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5188.

LXXXVIII. Isa ben maudud.

Abû manzûr ᶜîsâ ben maudûd ben ᶜalî ben ᶜabd almalik ben šuᶜaib, Fachr aldîn cognominatus, dominus urbis Tikrît a Turcomanis Syriae oriundus, Diwanum carminum composuit et epistolas ingeniosas. Interfectus est a fratribus suis in castello Tikrîti anno 584.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ۵۴۸; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 432; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VII, p. 83.

LXXXIX. Ibn almustaufi alirbili.

Abû -lbarakât almubârak ben abî -lfatḥ aḥmad ben almubârak, Šaraf aldîn cognominatus, vulgo Ibn

almustaufî appellatus, vir illustris et modestia generositateque excellens, in variis litterarum generibus optime versatus fuit [1]). Plurima et egregia conscripsit opera, quorum omnium fere celebratissimum est تأريخ اربل (Historia Arbelae, cf. Hâgî Ch. nr. 2134 et 13536), opus quatuor volumina complectens, quo Ibn Challikân aliique scriptores inclyti saepissime usi sunt fonte. Inter caetera ejus opera memoratu maxime digna sunt: النظّام (Ordinator margaritarum), opus ex decem voluminibus constans, quod scriptum est ad Diwanos Almutanabbîi et Abû Tammâmi commentandos (cf. Hâgî Ch. nr. 13848); (2 اثبات المحصّل (Argumenta investigationis), opus duo volumina complectens, in quo disseritur de versibus ab Alſamachšarî in libro grammatico المفصّل allatis (cf. Hâgî Ch. Tom. VI, p. 40); ابو قماش (Pater supellectilis), opus philologicum, quod multas et varias res singulares undique cum delectu congestas continet (cf. Hâgî Ch. nr. 36). Etiam Diwanum carminum satis praestantium composuit. — Ibn almustaufî, anno 564 (sec. الترجمات anno 574) natus, munere summi cancel-

---

[1]) Apud Ibn Chall. haec de eo leguntur verba, quae sec. versionem Slanii proferam: "He was a most accomplished scholar, versed in numerous branches of learning: the Traditions, the sciences connected with them, and the names of the persons by whom they were handed down, were so familiar to him, that, on such subjects, he merited to be considered as a master of the highest authority. In the belles lettres his acquirements were also of no inferior order: grammar, philology, prosody, the laws of rhythm and literary composition, the poetry of the ancient Arabs, their history, contests, battles, and proverbs were all equally well known to him, and he displayed also a superior talent in the science of the diwân, the mode of accounting (employed) there, and the keeping of the registers; adhering to the conventional forms on which persons of the profession set such high importance."

[2]) Plenus titulus est: كتاب اثبات المحصّل فى ابيات المفصّل.

larii (مستوفى الديوان) in oppido Arbela functus est. Postea etiam Weziratum obtinuit. Obiit in urbe Mosul anno 637.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٥٩٣; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 556; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VII, p. 716. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5210.

XC. Alsubaidi.

Abû bakr muhammad ben alhasan ben ᶜabdallah ben madhig ben muhammad ben ᶜabdallah ben bišr alſubaidî, grammaticus et philologus celeberrimus, qui quarto higrae seculo Hispali et Cordubae floruit. Utilissima, quae ei assignantur, opera haec sunt: ابنية فى النحو (Aedificia vel institutiones de grammatica), opus suae aetatis fere praestantissimum (وهذا الكتاب من نوادر الدهر, cf. Hâgî Ch. nr. 32); اخبار الفقهاء المتاخرين من اهل قرطبة (Historia recentiorum jurisconsultorum Cordubensium, cf. Hâgî Ch. nr. 212); طبقات اللغويين والنحاة (Classes lexicographorum et grammaticorum), opus omnes lexicographos et grammaticos tum orientales tum occidentales (Hispanienses) inde ab Abû -laswad aldûalî († 69) usque ad aetatem auctoris recensens (cf. Hâgî Ch. nr. 7917); غاية فى العروض (Summus terminus de arte metrica, cf. Hâgî Ch. 8528); لحن العامّة (Falsa vulgi pronunciatio, cf. Hâgî Ch. 11085) vel ما يلحن فيه العامّة (Voces, in quibus pronunciandis vulgus errat, cf. Hâgî Ch. nr. 11292); الموضح فى النحو (Liber clare exponens de grammatica, cf. Hâgî Ch. nr. 13430); الواضح فى العربيّة (Institutio evidens de lingua arabica, cf. Hâgî Ch. Tom. VI, p. 415); هتك ستور الملحدين (Laceratio velorum haereticorum, cf. Hâgî Ch. nr. 14342). Praeter haec scripta Alſubaidî epitomen edidit celebrati

illius operis lexicologici كتاب العين, quod a nonnullis illustri grammatico et philologo Alchalîl ben aħmad (de quo cf. supra p. 7 ann.) tribuitur. Etiam carmina haud mediocria composuit. Mortuus est Hispali anno 379.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٩٣; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 448 et 900; Gayangos, Hist. of the Moh. Dyn. in Spain, Tom. I, p. 474, Tom. II, p. 478; Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. I, p. 166, Tom. II, p. 133.

XCI. Ibn ħajjus.

Abû -lfitjân muħammad ben sulтân ben muħammad ben ħajjûs, Muzтafâ aldaulà cognominatus, unus fuit e clarissimis, qui in Syria floruerunt, poetis. Qazidas composuit in laudem Banû mirdâs (Maħmûd alkilâbî filiique ejus Nazr), principum Halebi nobilium, quorum amicitia et liberalitate gavisus est. Anno 394 Damasci natus, decessit in urbe Haleb anno 473. Fuit praeceptor Ibn alchajjâтi, poetae celeberrimi, qui infra (nr. CI) commemorabitur.

De Ibn ħajjûs cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٨٣; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 889 et 1134. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5178 et 5253.

XCII. Ibn abd rabbihi.

Abû ᶜumar aħmad ben muħammad Ibn ᶜabd rabbihi, philologus praeclarissimus, Cordubae natus, maximam collegit famam laudatissimo opere philologico et anthologico, quod العقد (Monile) inscribitur [1]). Hoc opus

[1]) De hoc opere et de argumento ejus cel. Gayangos in Hist. of the

magni, Ibn Challikâno quoque judice, emolumenti in quinque et viginti libros divisum est, qui singuli in duas partes sunt dispositi; omnino igitur quinquaginta partes complectitur. Singuli libri nomen prae se ferunt peculiare a gemmis monilis assumptum; unde primus, in quo de Sultanis agitur, inscriptus est اللؤلؤ &c.[1]). Epitomen ejus ediderunt Abû isĥaq ibrâĥîm ben ᶜabd alraĥman-alwâdijâšî alqaisî, anno 570 mortuus, et Ǵamâl aldîn abû -lfażl muĥammad ben mukarram alanzârî alchafragî, qui, libro لسان العرب clarus, obiit anno 711. Praeter العقد alia quoque ingenii monumenta scriptori nostro assignantur. Composuit teste Hâgî Chalifa opus لباب في معرفة العلم والادب (Medulla de cognitione scientiarum et litterarum humanitatis, cf. nr. 11065) inscriptum, teste cel. Casiri historiam Cordubae, teste tandem Ibn Challikâno Diwanum carminum egregiorum[2]). — Ibn ᶜabd rabbihi, qui a liberto Chalifae Hispaniensis Abû -lwalîd hišâm ben ᶜabd alraĥman († 180) originem duxit, anno 246 natus fuit; obiit anno 328.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٢٥; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 92; Abulf. Ann. mosl. (Reiske), p. 260; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. IV, p. 504 et 692; Sacy, Chrest. arab. edit. secund. Tom.

Moh. Dynast. in Spain ita judicat: "It is a sort of Cyclopaedia, containing various treatises upon history, genealogy, the science of government, eloquence, justice, liberality, courage, magnanimity, women and their good qualities, military science, weapons, horses, stratagems, hostages, encampments &c."

[1]) Cf. Hâgî Ch. Tom. IV, p. 232.

[2]) Cel. Slane et Hammerus etiam libri mentionem faciunt ab eo compositi, qui al-Mahasât vel Mahâset inscriptus carmina amatoria additis sententiis ethicis contineat. Sed fieri potest, ut hic liber idem sit ac Diwanus ab Ibn Chall. commemoratus.

I, p. 398; Gayangos, Hist. of the Moh. Dyn. in Spain, Tom. I, p. 338; Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. II, p. 134. De opere العقد cf. Hâgî Ch. nr. 8200.

XCIII. Alfarabi.

Abû nazr muhammad ben muhammad ben tarchân ben auſalaġ alfârâbî, origine Turca, secundus est trium illorum praeclarissimorum gentis Arabicae philosophorum, quorum primus Alkindî, Ibn Sînâ tertius. Natus fuit in urbe Fârâb, quae postea Utrâr dicta est. Unde Bagdadum profectus, linguam Arabum et philosophiam duce Abû bišr mattâ ben jûnus, viro artis logicae peritia claro († 329), discere coepit. Interjecto temporis intervallo in urbem Harrân migravit, ubi Juhannâ ben chîlân, philosopho christiano, magistro usus coepta continuavit. Reversus deinde Bagdadum, philosophiam ipse professus est atque hujus disciplinae studiosis tradidit. Postrema vita in Syria versatus est numero familiarium Saif aldaulae, principis illustris (de quo cf. supra nr. LVII), additus. — Alfârâbî plurima opera ad philosophiam spectantia conscripsit; plurima etiam philosophorum graecorum, inprimis Aristotelis, scripta commentavit atque omni modo elaboravit. Qua in re tantum profecit, ut Arabes ipsi eum Aristotelem secundum, philosophum Muslimorum celeberrimum (أكبر فلاسفة المسلمين) vel philosophum Islâmi κατ' ἐξοχήν (فيلسوف الاسلام) appellaverint. Etiam de musica, de astronomia et de arte medicorum libros scripsit. Sed omnia, quae reliquit, scripta enumerare longum est; sufficiat haec nonnulla proferre: كتاب البرهان (Liber demonstrationum); كتاب المستغلق من كلامه فى قاطيغورياس (Liber categoriarum); كتاب اراء اهل المدينة الفاضلة (Liber de legibus institutisque reipublicae sapientium); كتاب فى العقل

والمعقول (Liber de intellectu et intelligibili); كتاب احصاء العلوم (Liber encyclopaediae); شرح كتاب المجسطى (Commentarius in librum Ptolemaei μέγιστη); كتاب شرح البرهان لارسطو (Commentarius in Aristotelis Analytica); كتاب شرح المغالطة (Commentarius in ejusdem Sophismata); كتاب شرح القياس (Commentarius in ejusdem Syllogismos); كتاب فى اتفاق اراء ارسطوطاليس وافلاطون (Liber de Aristotelis et Platonis sententiarum consensu et concordia); كتاب الموسيقى (Liber de musica); كتاب النجوم (Liber de astronomia). — Alfârâbî celeberrimus obiit Damasci anno 339 vel (sec. alios) anno 338.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٧١٩; Abulf. Ann. mosl. (Reiske), p. 274; Abû -lfarag (Pocock, Historia Dynastiarum, Oxoniae 1663), p. 208; Herbelot, Bibliotheque orientale (La Haye 1777—1779), Tom. II, p. 17 sub voc. Farabi; Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. I, p. 190; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. IV, p. 287; Wüstenfeld, Gesch. der arab. Aerzte u. Naturforscher, p. 53; Kosegarten, Liber cantilenarum, p. 33.

XCIV. **Ibn tabataba.**

Abû -lqâsim aħmad ben muħammad ben ismaᶜîl ben ibrâhîm ṭabâṭabâ alᶜalawî almizrî, نقيب seu caput omnium in Aegypto habitantium posterorum ᶜAlî Chalifae, quum alia tum amatoria quoque carmina condidit. Mortuus est teste Ibn Challikâno anno 345 vel, ut putant alii (Abulf.), anno 418.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٥٤٢; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 114; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 773 et 861.

XCV. Kusagim.

Abû -lfath mahmûd (vel muhammad) ben alhusain alramlî, vulgo Kuśâgim cognominatus, aequalis fuit poetarum nobilissimorum Almutanabbî et Alsarî alraffâ. Quibus in disciplinis versatus fuerit, vel quibus facultatibus virtutibusque commendetur, ex vocabulo كشاجم, quod ipse sibi indidit cognomen quodque ex litteris harum disciplinarum et virtutum initialibus compositum est, cognoscere licet. Designat enim littera ك artem eleganter scribendi (كاتب), ش artem poeticam (شاعر), ا philologiam vel humanitatem (اديب), ج liberalitatem (جواد), م astronomiam (منجم). — Abû -lfath kuśâgim auctor est et Diwani carminum, cui describendo et imitando Alsarî alraffâ, teste Ibn Challikâno, operam dedit [1]), et collectionis epistolarum. Composuit praeterea ادب النديم (Mores, quibus ornatus esse debet sodalis, cf. Hâgî Ch. nr. 343); خصائص الطرب (Quae laetitiae propria sunt, cf. Hâgi Ch. nr. 4718); الطرديّات [2]) (Carmina venatoria, cf. Hâgî Ch. nr. 7954); كتاب الصبيح (Liber decoris, cf. Hâgî Ch. Tom. V, p. 107); كتاب المصائد والمطارد (Liber instrumentorum venatoriorum

---

[1]) Verba Ibn Challikâni huc pertinentia, quae in vita laudati poetae Alsarî leguntur, sunt haec: كان السرى مغرى بنسخ ديوان ابى الفتح كشاجم الشاعر المشهور وهو اذ ذاك ريحان الادب بتلك البلاد والسرى فى طريقه يذهب وعلى قالبه يضرب, cf. ed. Wüst. nr. ٣٥٩; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 557.

[2]) Ab Hâgî Ch. (Tom. IV, p. 171, nr. 8000) etiam opus الطوديّات (الطوديات فى القصائد والاشعار) inscriptum poetae nostro tribuitur, sed credibile videtur, hoc opus idem esse atque الطرديّات, cujus titulus loco citato perperam scriptus sit. In eodem saltem argumento versari videtur.

et venabulorum, cf. Hâgî Ch. nr. 10496; Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ١٣٠, p. ٣٦ et nr. ١٤٩, p. ٧٣). Obiit secundum Hâgî Chalifam circa annum 350, secundum الترجمات anno 330.

De eo cf. Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 610 et 853; Sacy, Chrest. arab. edit. secund. Tom. II, p. 333. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5632; Dozy, Catal. MSS. orient. Bibl. Lugduno Batavae, Tom. II, p. 52.

XCVI. Umara aljamani.

Abû muhammad ʿumârà ben abî-lhasan, Nagm aldîn cognominatus, Jurisconsultus ex regione Jaman oriundus, tum operibus historicis, tum carminibus egregie compositis nomen suum celebravit. Inter carmina ejus plurimae sunt Qazidae, in laudem Principum et Wezirorum Aegypti conditae. Quarum omnium praestantissimae habentur Qazida الميمية (Qazida in Mîm desinens), qua laudes Principis Alfâiſ ben alṛâfir et Weziri ejus Alzâlih persecutus est, Qazida اللامية (Qazida in Lâm exiens), qua casum regni Fatimidarum deploravit, et Qazida شكاية المتظلم ونكاية المتالم (Questus hominis injuria oppressi et dolor viri afflicti) inscripta, quam ad Zalâh aldîn, Sultanum illustrissimum, composuit. Opera ejus historica haec sunt: تأريخ اليمن (Historia Jamanae, cf. Hâgî Ch. nr. 2344), opus magni emolumenti, quo celeberrimus Abulfeda usus est fonte; المفيد فى اخبار زبيد (Institutiones utiles de historia oppidi Zabîd, cf. Hâgî Ch. nr. 12641); النكت العصرية فى اخبار الوزراء المصرية (Acuta dicta contemporalia de historia Wezirorum Aegyptiorum, cf. Hâgî Ch. nr. 13985); طبقات الشعراء (Classes poetarum, cf. Hâgî Ch. Tom. IV, p. 146). — ʿUmârà aljamanî in oppido Tihamae Mar-

rân natus, interfectus est Qahirae, jubente Zalâh aldîn, anno 569.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٥٠٠; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 367; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VII, p. 689 et 934.

XCVII. Alabiwardi.

Abû -lmuṭaffar muhammad ben abî -lᶜabbâs alabîwardî, vir celeber a Chalifis Umajjadis oriundus (unde Alumawî almuᶜâwî appellatur), non solum carminibus, sed etiam lexicologia, genealogia [1]) et disciplina historica excelluit. Praeter Diwanum, cujus carmina in varia genera, العراقيات (Irâqana), ([2] النجديات (Nagdiana) et alia, digesta sunt, haec opera composuit: تأريخ ابيورد (Historia oppidi Abîward, cf. Hâgî Ch. nr. 2128); تأريخ نسا (Historia oppidi Nasâ, cf. Hâgî Ch. l. c.); ترجمة السلفى (Biographia Alsilafîi, cf. Hâgî Ch. nr. 2911); طبقات العلوم (Classes doctrinarum, cf. Hâgî Ch. nr. 7908); المختلف والمؤتلف فى مشتبه اسماء الرجال (Discrepantia inter se et congruentia de nominibus virorum, qui primi traditiones propagarunt, ambiguis, cf. Hâgî Ch. nr. 11637); ما اختلف وايتلف فى انساب العرب (Quae inter se discrepant, quae congruunt de genealogiis Arabum); نزهة الحفّاظ (Oblectamentum Hâfiṭorum seu virorum, qui traditionum collectiones memoriae mandarunt, cf. Hâgî Ch. nr. 13687).

---

[1]) كان من اخبر الناس بعلم الانساب dicit de eo Ibn Chall.

[2]) Carminibus, quae النجديات inscribuntur, poeta praefationem praemisit, in qua genealogias familiae suae exponit. Quam ob causam Hâgî Ch. (Tom. VI, p. 304) illi carminum collectioni titulum النجديات فى النسب tribuit.

Egregia quoque opera lexicologica conscripsit. — Alabîwardî, ortus ex regione Nagd, habitavit oppidum Churasanae, quod Abîward vel Abâward vel etiam Bâward appellatur. Mortuus est veneno in urbe Izfahan anno 507.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٨٥; Herbelot, Bibliotheque orientale (La Haye 1777—1779), Tom. I, p. 22 sub voc. Abiourdi; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 498 et 846. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5269; Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. I, p. 123 et Dozy, Catal. MSS. orient. Bibl. Lugduno Batavae, Tom. II, p. 60 [1]).

XCVIII. Abu firas alhamdani.

Abû firâs alḥariṯ ben abî -lᶜalâ saᶜîd ben ḥamdân, unus inter principes Syriae ad familiam Banû ḥamdân pertinentes, patruelis Saif aldaulae et Nâzir aldaulae, non minus carminibus clarus fuit, quam genere et virtutibus excellens [2]). Plurima ejus carmina ad Saif

---

[1]) Volumus tamen observatum, codices Diwani Alabîwardîi et Escurialensem et Leidensem, de quibus locis citatis disseritur, hunc quidem addito commentario Alqaizarîi, tantum carmina النجديات dicta continere.

[2]) Verba Alṯaᶜâlibîi, quae de Abû firâs refert Ibn Chall., cel. Slane in Ibn Khall. Biogr. Dict. ita interpretatus est: "The pearl of his time, the sun of his age in learning, talent, generosity, glory, eloquence, horsemanship, and bravery; his poetry is celebrated and current (throughout the world); it combines beauty, merit, ease, depth, softness; with him were the brightness of genius, the impress of elegant taste, and the lustre of a princely raçe; qualities such as were never found before in any poet except Abd Allah Ibn al-Motazz, but Abû Farâs is considered superior to him by persons of the profession and by critics. The Sâhib Ibn Abbâd used to say: 'Poetry began with a prince and ended with one', meaning Amro ᵓl-Kais and Abû Farâs."

aldaulam laudibus efferendum composita sunt. Hic princeps et poeta celeber, anno 320 in lucem editus, decessit septem et triginta annos natus anno 357.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ١٥٣; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 366; Abulf. Ann. mosl. (Reiske), p. 285; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 49 et 734; Sacy, Chrest. arab., edit. secund. Tom. I, p. 37 et 499. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. Tom. III, p. 257.

XCIX. Ibn hani alandalusi.

Ibn hânî (Abû -lqasim vel abû -lhasan muhammad), poeta Hispaniensis, aequalis Almutanabbîi, in Occidente eadem, qna in Oriente hic poeta praeclarissimus, celebritate gaudet. Diwanum magnum reliquit, qui, ut Ibn Challikâni fert sententia, inter optimos numerandus esset, nisi in laude procerum nimis superlata et praeter Deum neminem decente versaretur [1]). Etiam historiam conscripsit, ut ex Hâgî Chalifa (cf. Tom. II, p. 105) cognoscere possumus. Editus fuit Hispali, sed septem et viginti annos natus e Hispania egressus in Libya et Aegypto vitae partem degit, Fatimidis officia praestans. Occisus est apud Barqam anno 362, sec. alios anno 361.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٧٩; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 793; Gayangos,

---

[1]) Specimen ejusmodi laudis intemperatae praebent versus ab Abulfeda in Ann. mosl. allati, quibus Almuᶜiff lidîn allah, Libyae dominum (de quo cf. Ibn Chall. ed. Wüst. nr. ٧٣٧), allocutus est. Quos versus cel. Reiske (cf. p. 290) ita vertit:

"Nihil cupis, nisi quod cupit fatum. Statue itaque modo et impera quidquid velis; erit. Tu enim es unicus et supremus rerum pro arbitrio administrator et domitor."

Hist. of the Moh. Dyn. in Spain, Tom. I, p. 453. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5226.

C. Alnami.

Abû -lᶜabbâs aḣmad ben muḣammad aldârimî almizzîzî, vulgo Alnâmî appellatus, unus e poetis suae aetatis nobilissimis, laudes cecinit Saif aldaulae celeberrimi, cui familiaritate conjunctorum poetarum numero est addendus. Tenuit apud hunc principem honoris locum ab Almutanabbî proximum. Scientiâ linguae litterarumque humanitatis excellens doctrinas, quas ipse a praeceptoribus Abû -lḣasan ᶜalî ben sulaimân alachfaš, Ibn durustûyà, Abû ᶜabdallah alkarmânî, Abû bakr alzaulî, Ibrâhîm ben ᶜabd alraḣman alᶜurûżî et patre suo Muḣammad almizzîzî acceperat, discipulis suis dictavit. Qui discipuli fuerunt Abû -lqâsim alḣusain ben ᶜalî ben abî usâmà alḣalabî et frater ejus Abû -lḣusain aḣmad, Abû-lfarag albabaġâ, Abû -lchaṭṭâb ben ᶜaun alḣarîrî, Qâdî Abû ṭâhir zilḣ ben gaᶜfar alḣâšimî. Alnâmî dicitur cum Almutanabbî carmina recitando certasse. Mortuus est Halebi teste Ibn Challikâno anno 399, teste Abulfeda anno 400, testibus aliis anno 370 vel 371.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٥٠; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 110; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 749.

CI. Ibn alchajjat aldimasqi.

Abû ᶜabdallah aḣmad ben muḣammad ben ᶜalî ben jaḣjâ ben zadaqà altaġlabî aldimašqî, poeta vulgo Ibn alchajjâṭ appellatus, varias regiones obiit laudes principum virorumque doctrina et bellica virtute illu-

strium carminibus persequens. Inter omnia ejus poemata optimum censetur Qazida in Bâ exiens, cujus partem profert Ibn Challikân. — Ibn alchajjâr anno 450 Damasci natus, mortuus est ibidem anno 517.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٥٩; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 128; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VI, p. 894. De Diwano ejus cf. Hâgî Ch. nr. 5182; Mehren, MSS. orient. Bibl. Havniensis, Pars II, p. 150 et Casiri, Bibl. Arab. Hisp. Escurial. Tom. I, p. 110.

CII. Alqazi alrasid & Alqazi almuhaddab.

Alqâżî alraśîd (Abû -lhusain ahmad ben alqâżî alraśîd abî -lhasan ʿalî ben alqâżî alraśîd abî ishaq ibrâhîm ben muhammad ben alhusain ben alſubair algassânî) et frater ejus Alqâżî almuhaḍḍab (Abû muhammad alhasan), viri in oppido Aegypti superioris Uswân[1]) nati et nobili inclytaque familia oriundi, quum poeseos tum doctrinae laude floruerunt. Alqâżî almuhaḍḍab poeta praestantior fuit quam Alqâżî alraśîd, hic autem doctrinâ illo eminentior. Excelluit enim Alqâżî alraśîd in geometria (علم الهندسة), in disciplinis mathematicis (علم الرياضات) et in doctrinis, quae ad legem et poesin spectant (العلوم الشرعيات والاداب الشعريات). Auctor est operis جِنان الجَنان ورياض الاذهان (Horti cordis et prata ingenii) inscripti, quod res ad notitiam virorum illustrium pertinentes continet[2]). — Alqâżî almuhaḍḍab obiit Qahirae anno 561, Alqâżî alraśîd autem interfectus est anno 563.

---

[1]) Hoc oppidum est hodiernum Syene.

[2]) Dicitur hoc opus ad continuandum librum Alṯaʿâlibîi يتيمة الدهر conscriptum esse.

De iis cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٩٤; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. I, p. 143; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. VII, p. 897.

CIII. Alhusain ben ahmad alqirmiti.

Alhusain ben ahmad algannâbî alqirmitî, Alazam appellatus, princeps fuit Qarmatitarum, sectae anno 278 Kufae ortae. Est haud dubie idem atque Alhasan ben Ahmad alqirmitî, de quo celeberrimus Almaqrîzî in tractatu de plateis urbis Qahirae (cf. Sacy, Chrest. arab. edit. secund. Tom. II, p. ٢٩) mentionem facit [1]).

CIV. Alnasi alazgar.

Abû -lhasan ʿalî ben ʿabdallah, vulgo Alnâśî alazgar (Alnâśî minor) appellatus, poeta satis praecla-

---

[1]) De eo cel. Sacy (l. c. p. 125 seq.) has profert notitias: "Hasan étoit fils d'Abou-Mansour Ahmed, fils d'Abou-Saïd Djannabi, nommé aussi Behram. Abou-Saïd mourut en 301 (Annal. Moslem. tom. II, pag. 325). Il laissa, suivant Nowaïri, six enfans: Abou'lkasem Saïd, Abou-Taher Soleïman, Abou-Mansour Ahmed, Abou'labbas Ibrahim, Abou'l-abbas Mohammed et Abou-Yakoub Yousouf. Abou'lkasem Saïd succéda d'abord à son père dans la place de Cabir كبير ou chef des Karmates; mais en 305, il fut remplacé par Abou Taher Soleïman. Celui-ci mourut, ainsi que son frère Abou-Mansour Ahmed, de la rougeole, en 332. L'aîné des fils d'Abou-Saïd, Abou'lkasem, reprit alors le gouvernement et eut pour associé un de ses frères. En 358, Sabour, fils d'Abou-Taher, ayant voulu exiger de ses oncles qu'ils lui remissent l'autorité souveraine, fut mis en prison et y mourut (Annal. Moslem. tom. II, pag. 505). En 360, Hasan, fils d'Abou-Mansour Ahmed qui étoit devenu chef des Karmates, sortit de son pays, voulant profiter, pour s'agrandir, des troubles occasionnés par l'invasion de l'Egypte et de la Syrie (ibid. pag. 509). Hasan étant mort à Ramla en 366, eut pour successeur Djafar, fils d'un de ses oncles, suivant Makrizi et Nowaïri."

rus, magnum Qazidarum numerum ad familiam Muhammad prophetae celebrandam composuit. Auctore Ibn Challikâno permulta alia quoque opera reliquit. Traditur in theologia scholastica (علم الكلام) optime versatus fuisse atque inter viros Schiitarum celebres locum obtinuisse eminentem. Caeterum Alnâśî unus fuit e poetis, in quos Saif aldaulà, Syriae princeps, beneficia congessit. Natus anno 271, decessit de vita anno 366 vel 365.

De eo cf. Ibn Chall. (Wüstenf.), nr. ٢٧٧; Slane, Ibn Khall. Biogr. Dict. Tom. II, p. 307; Hammer, Litt. Gesch. der Arab. Tom. V, p. 634.

AUG 17, 1869

Deacidified using the Bookkeeper process.
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: June 2007

PreservationTechnologies
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION
111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111

LIBRARY OF CONGRESS
0 019 330 534 9